Prolegomena de carmine adversvs Marcionitas ...

August Oxé

PROLEGOMENA

DE

CARMINE ADVERSVS MARCIONITAS

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE VIIII MENSIS IVNII ANNI MDCCCLXXXVIII HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

AVGVSTVS OXÉ
CRVCENACENSIS

ADVERSARII ERVNT

GVSTAVVS WVLFERT
CAROLVS BECKER
AEMILIVS GENNIGES

LIPSIAE

APVD GVSTAVVM FOCK

MDCCCLXXXVIII

FRANCISCO BVECHELER
EDVARDO LVEBBERT
HERMANNO VSENER

Quaestionibus metricis occupatus incidi in carmen aduersus Marcionitas ab incerto auctore conscriptum. huius carminis latinitatem cum ab usitata elocutione etiam ferreae quae uocatur aetatis ualde discrepare uidissem, primum subsidia ad textum explicandum et corrigendum ex editionibus adnotationibusque mihi parare studui: mox uero cum harum interpretationum naturam peruersam et obsoletam minimeque hodierno litterarum statu dignam perspexissem, ut ipse mihi firmiores copias colligerem coactus sum. quantopere uel nouissimi editores hoc carmen neglexerint et spreuerint, ex ipsorum prooemiis cognosci potest[1]. sed hi cum deprauatum carminis textum causarentur, indolem poetae uolgarem non perceperunt, quae etiam ueteres editores et interpretes fugit. itaque cum Pamelius et qui eum secuti sunt, Nic. Rigaltius, Franciscus Iunius, Barthius, Andr. Riuinus raro adnotationibus uel emendationibus frugi aliquid in medium protulerint, saepe autem numero nulla via ac ratione temere sententias tulerint, afferendis ubique eorum notis uel coniecturis supersedere possumus et quia liber manuscriptus adhuc nusquam inuentus est[2], textum ex editione principe a G. Fabricio facta[3] repetimus.

De carmine explicando et tempore auctoris definiendo optime nuper meritus est Ernestus Hueckstaedt, uir theologorum ordini adscriptus,

---

[1] In Mignei Patrol. (ser. I. tom. 2. p. 1052. Par. 1844) haec editores praelocuntur: 'non tanti momenti uisa fuere haec poemata quam ut ea amplius adornaremus commentariis: Pameli igitur adnotationes utcumque exiguas et leues (!) satis fuit addidisse.' Oehler in Tertulliani editione talia praefatur (tom. II. p. 782): 'carmen quod omnibus membris laborat, paucis mutatis recudi feci ex recensione Pamelii, quam Rigaltius quoque plerumque secutus est, ampliori enim labori in emendando eo ponendo par fructus desperandus erat.'

[2] De hac re interrogatus Guil. de Hartel Vindobonensis, qui scriptorum eccles. lat. copias optime nouit, benigne certiorem me fecit.

[3] Edidit Georgius Fabricius Chemnicensis anno 1563 in 'thesauro' suo, cui nomen est Poetarum ueterum ecclesiasticorum opera christiana etc., Basileae per Ioannem Oporinum. codicem Ioh. Heroldus rogatu Oporini cum eo communicauerat; uide commentarium eius sub uoce *Tertullianus*.

dissertatione diligentissima et doctissima, quam anno 1875 Lipsiae conscripsit [1]. is carmini usque ad illud tempus densissimis tenebris obruto primam lucem attulit. nam et enarrando ei atque explicando non sine fructu operam impertisse et duas res grauissimas recte statuisse mihi uidetur: primum aduersarios, qui hoc carmine impugnentur, esse Marcionitas, non Marcionem; tum saeculi quarti decade septima carmen ortum esse argumentis theologicis usus ualde probabile reddit [2]. carmen uero Romae confectum esse neque uersibus III, 275—277 et III, 297 [3], quibus fulcitur eius argumentatio, comprobatur neque cum nostris quaestionibus congruit, quae auctorem Africanae nationis hominem fuisse docebunt [4]. etiam quod Marium Victorinum rhetorem esse carminis auctorem uoluit, fallitur: id quod iam alii uiri docti uiderunt [5]. duae enim sunt causae, quibus commoti modo hunc modo illum Victorinum auctorem affirmare solent: primum uersus illi in Victorini [6] cuiusdam carmine iterati, tum testimonium incerti cuiusdam auctoris de XII scriptt. eccles. (in Fabrici bibl. eccles. p. 69 cap. 7) [7]. quibus argumentis

---

[1] Ueber das pseudotertullianische Gedicht aduersus Marcionem. Inaugural-Dissertation. Leipzig, Ackermann und Glaser. 8⁰.

[2] A. Harnack (Zeitschr. f. wiss. Theol. Jahrg. 19 p. 114) et G. Koffmane (in dissertat. 'de Mario Victorino Afro' et libro optumo 'Entstehung und Entwicklung des Kirchenlateins bis auf Augustinus — Hieronymus' Breslau 1879 p. 155) de temporis ratione Hueckstaedtio assensi sunt. haud ita Ad. Hilgenfeld (Zeitschrift f. wiss. Theol. Jahrg. 19), qui carmen propius ad Irenaei et Tertulliani tempora accedere autumat septem argumentatus causis. sed solummodo, quae septimo loco posuit, recte affert, ut nimias quasdam Hueckstaedti argutias reiciat, quas ille de uersibus II, 186—188 et I, 136—138 commentus est; omnibus autem ceteris causis non esse euincit carmen uetustius, sed esse posse. quis uero dubitabit, quin auctor carminis symbolum Nicaenum nouerit, quippe qui in uariis Christi nominibus ac potentiis enumerandis eum

genitum de lumine lumen

uocauit neque id semel, sed bis (IV, 29. V, 199)? comprobatur autem Hueckstaedti sententia meis quaestionibus longe alia ratione institutis (u. infra).

[3] uide infra pag. 38.

[4] uide infra pag. 37 sq.

[5] uide A. Harnack et G. Koffmane ll. cc.

[6] Ang. Maius in auct. class. tom. V. p. 382: 'Victorini de natiuitate, passione et resurrectione Domini carmen.'

[7] Verba sunt haec: 'Victorinus episcopus composuit et ipse opuscula admodum breuia (!): unum aduersus Manichaeos reprobantes Veteris Testamenti deum ueramque Christi incarnationem contradicentes: alium autem aduersus Marcionistas, qui duo principia i. e. duos deos fingunt, unum malum, iustum creaturarum conditorem et

nixi iam ante Hueckstaedtium Oehler (in editione Tertulliani, tom. II p. 782) 'opusculi auctorem Gallicae prosapiae hominem fuisse suspicatus est Victorinum Massiliensem rhetorem', atque Tillemontius[1] et nuper Haussleiter[2] Victorinum Petauionensem auctorem esse contenderunt: sed neutri parti fides habenda est, quoniam hic Victorinus uixit uergente saeculo III, ille uero saeculo V, quod et ab Hueckstaedti et nostris de tempore coniecturis longe abhorret. idoneum igitur hominem Victorini nomine praeditum nondum esse repertum uidemus: neque nos alium, cui pro certo carmen uindicaremus, indagauimus; tempus et patriam scriptoris definisse satis habuimus.

Quamuis uero theologorum studia carminis notitiam et interpretationem ualde adiuuerint, tamen tantum abest, ut totum carmen explanauerint, ut potius res difficillimas intellectu et ad auctorem definiendum maxime idoneas omisisse uideantur. primum mirandum est, quod locos ex bibliis sacris decerptos notare operae pretium non duxerunt; quin etiam quos solus Pamelius in sua editione ad marginem designauerat, posteriores editiones omiserunt[6]. tamen ex hac comparatione certissima subsidia ad textum integrum restituendum petenda esse quis est qui non intellegat? exempli gratia haec appono:

II, 44. *sata*[3] *mortua uiuificare.*
= Volg. I Cor. XV, 36: 'insipiens tu quod seminas, non uiuificatur nisi prius moriatur'.

II, 77. *sanguine signantur postes et limina fulta*[4].
= Volg. Exod. XII, 12: 'adspergite ex eo superliminare et utrumque postem'.

IV, 117. *hic Aaron est uirga, nucis*[5] *quae germina profert.*

---

restitutorem factorum, alterum bonum, animarum susceptorem et indultorem criminum.'

[1] Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique V, 313.

[2] Luthardi ephem. 'für Kirchl. Wiss.' 1886 p. 254 sq. Haussleiter consensui illius in Ioannis apoc. commentarii et nostri carminis nimium tribuisse uidetur; inde ut eundem auctorem concludamus, non cogimur. Verbi causa de illis quater sex alis apocalypseos, quae uetus test. significant, simillimam explicationem uersibus adstrictam in Hilari (?) carmine de euang. u. 74—81 (Pitrae Spicil. Solesm. I, 169) inuenimus, tamen eundem auctorem (etsi in re metrica quoque similitudines quaedam apparent) non audebimus statuere.

[3] *fata* ed. pr. — correxi.

[4] *fulta* ego. — *multa* ed. pr.

[5] *crucis* ed. pr. — correxi.

[6] Copiosiorem congessi indicem, qui nouae editioni addatur.

compara uersum 176 et cod. Lugd.[1] Num. XVII, 8: 'et ecce frondibus uisa est uirga Aaronis in domo Leui et produxit fructum et protulit flores et procreauit nuces'.

IV, 31. *ordine suscipiens Paulus sic tradit et ipse*
unum hunc esse patrem, ex quo[2] *sunt omnia facta,*
atque unum Christum, per quem deus omnia fecit.

= Volg. I Cor. VIII, 6: 'nobis tamen unus deus et pater, ex quo omnia et nos in illum, et unus dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum'.

Deinde quid Marcion gnosticus senserit, satis certo et melius scimus ex Epiphanii, Irenaei, Tertulliani, Eznici libris neque quidquam noui hic auctor adicit[3]; quid uero ipse auctor crediderit, quam regulam fidei secutus sit, theologi potius palpauerunt[4], quam perscrutati sunt. neque tamen dubium est, quin hac quoque ratione homo in litteris theologicis uersatus non pauca, quae ad carminis historiam et interpretationem pertineant, exploraturus sit. exempli causa nonnullas superstitiones auctoris hoc loco afferre mihi liceat, quae ad carmen melius intellegendum et textum emendandum faciunt. praeter cetera notanda est eius doctrina de Christo: hunc *patris ministrum*[5] uocat (V, 110. 205. 202), hunc *patris uirtute agere* (II, 125. 174. V, 106), hunc esse *per quem deus omnia fecit* (IV, 33), *arcam esse, per quam*[6] *pater omnia dedit hominibus* (IV, 175), *figuratorem corporis* (id est creatorem hominis I, 39), *factorem mundi* (V, 196), hunc *patribus apparuisse* (V, 207. II, 67), *Mosi locutum esse* (V, 217),

---

[1] Edidit Vl. Robert Parisiis 1883.

[2] *per quem* edd. — de hiatu conf. uu. V, 43. I, 215. III, 197.

[3] Irenaei et Tertulliani opera compilari Hueckstaedtius iam intellexit et diligentissime locos mutuatos in dissertatione sua adnotat. Neque aliter Harnackius, uir acerrimi ingeni, iudicauit; uide Z. für w. Theol. Jahrg. 19 p. 117: 'der verfasser schreibt die werke des Irenaeus und Tertullian aus.' ibid. p. 119: 'somit reduciert sich der ertrag der 1300 hexameter für die geschichte des Marcionitismus — andern untersuchungen mögen sie grössere ausbeute gewähren — auf 2 notizen: II, 28, wornach die Marcioniten als den verfasser ihres euangeliums Paulus bezeichnet haben sollen und V, 40. 62. 90, wornach sie die unterscheidung von *homo interior* und *exterior* häufig im munde geführt und den alten menschen den feind genannt haben müssen.'

[4] Nonnulla attulerunt Hueckstaedtius et Haussleiter ll. cc.

[5] Conf. Tertull. adu. Prax. 24 (med.): 'filio facta et uerba patris administrante.' ibid. cap. 3. 12. 18. et praescr. haer. cap. 20.

[6] *quem* ed. pr. — correxi.

populum ex Aegypto eduxisse (V, 114. 210—223); *Christi gesta priora* (II, 16) ea uocantur, quae in uetere testamento memorantur. scilicet Christus ubique in uetere testamento apparuisse et operatus esse dicitur, ubi facta diuina deum uisibilem postulant. filius ergo est uisibilis (III, 229. 233 sq. V, 111), pater inuisibilis (*aspectu non cognitus ulli* I, 135). miror quod theologi non pridem uersum V, 111 sic emendarunt:

uisus ab inuiso[1] *missus patiendo peregit.*

sic sensus optimus efficitur neque ab hoc auctore alienus:

I, 181. 101. *a patre deo uero missus.*

II, 55. *atque a deo*[2] *non uerba libri, sed missus in orbe est*[3]
ipse Christus. euangelium est, si cernere uultis,
a patre qui uenit solus bona nuntia portans.

Christum etiam 'in prophetis semper auditum' esse, ut ait Tertullianus in regula fidei quam de praescr. haeret. cap. 13 proponit, hic auctor credidit.

V, 222. *ipse prophetarum uerbum patris ore locutus.*

IV, 30. *per uatum uoces hunc unum clamitat esse.*

hinc igitur emenda uersum III, 131:

psalmographus Dauid, magnus rex atque propheta,
passurum Christus[4] *cuius se uoce canebat.*

hinc etiam uersus III, 59—65 explicandi et emendandi sunt:

59. *Tunc Christus*[5] *populo manifeste multa locutus.*

65. *omnia de Christo, per Christum cuncta loquuntur.*

Procul dubio poeta in sua regula fidei iam legit, quae exhibet

I, 99. *patitur suspenditur et sepelitur.*

et V, 135. *passumque sepultum surrexisse.*

Denique symbolum Nicaenum eum nouisse iam Hueckstaedtius contendit; uide supra pag. 6 adn. 1.

Quominus autem hoc carmen statim post primam quamuis diligentem lectionem prorsus intellegas et rationem qua auctor aduersarios refellere studet perspicias, non paruo impedimento est ipsius de salute

[1] *inciso* ed. pr. — similiter Tertullianus adu. Prax. cap. 14 et 15 deum 'uisum' et 'inuisum' discernit.

[2] *adeo* ed. pr. uide pag. 15.

[3] *orbem* ed. pr. — *orbe est* conieci: uide pag. 45 adn. 5.

[4] *passurum Christum* ed. pr. — temere Pamelius et Oehler hunc uersum temptarunt: 'passurum Christum *submissa* uoce canebat.'

[5] *Cum Christi* ed. pr. et posteriores. ipsum Christum uetus mandatum — id est Moysis — hominibus dedisse poeta IV, 174 docet: *qui uetus atque nouum mandatum pertulit ipse* et V, 217: *a deo mandatum legis Mosique locutus.*

a Christo hominibus allata superstitio. nempe in paradiso ab angelo siue nuntio doli[1] (II, 177) Eua uirgo (II, 142. 152. V, 230. sponsa II, 178 et alibi), a uirgine Adam uir perducuntur, ut ligni fructum comedant: quo facto homines uident se nudos esse. haec est hominis ruina (I, 87. 181. 205. II, 134. V, 230). sed eadem ratione salus[2] quoque hominibus parata est. iam uide quaeso, quantopere omnia facta auctor in hanc sententiam detorserit. angelus dei (II, 150. 177. V, 233) Christum natum hominibus adnuntiat, uirgo Christum parit, Christus ubi uir est factus (II, 155) lignum i. e. crucem patitur: quo facto ille homines sua luce uestit[3]: habes igitur hoc parallelon schema (conf. II, 142—152. 176—179 et V, 230—237):

[1] His significationibus diaboli praeterea utitur: refuga (saepius), draco, serpens, malus, inimicus, hostis, praedo, latro, perfidus, iniquus, maledictus. uide infra Commodiani affinitatem.

[2] II, 134 *Adam ui captum sic quaerit Christus ubique*
ipse uiam gradiens, qua mors operata ruinam est.
II, 176 *causa haec mortis erat, eadem uia facta salutis.*
V, 230 *Adam, uirgo, draco, lignum, quae causa ruinae*
et uia qua nos mors temeraria uicerat omnes.
hac eadem gradiens pastor pecudemque requirens
⟨anglo⟩ uirgine, carne sua, lignique medela,
ex quo uictus homo ⟨uictu⟩ periturus obibat etc.

[3] Duas res nota: I. propterea quod omnium aetatum homines i. e. et minores et maiores natu peccatores sunt et salute indigent, Christus quoque omnes humanas aetates inde a paruolo usque ad senem percucurrit. hoc recte intellexit Hueckstaedtius optime conferens Iren. II. 22, 4. 5, et V. 23, 1. 2; nimius igitur est A. Harnack in optimo libro 'Lehrbuch der Dogmengeschichte' (I. b. Freibg. 1886) p. 467 adnotans: 'Diese auffassung ist dem Irenaeus eigentümlich gewesen und in der Folgezeit aus guten Gründen nicht wiederholt worden s. II. 22. III. 17, 4.' En hic poeta eidem dogmati indulget. Attamen Hueckstaedtius uersum II, 154:

paruolus immanis, senior puer, et iuuenis uir

peruerse transtulit p. 23: 'Ein Held als Kind, ein Mann als Knabe, ein Jüngling als Mann.' respicit procul dubio poeta Iesum puerum XII annorum in templo inter seniores (Luc. II, 46 sq.) uersantem iam doctum et docentem, uelut si ipse senex fuerit. reuera igitur Christum senem non affirmat, quandoquidem ut uir mortem fugare debuit (nam Adam quoque uir, non senex ruinam passus est) id quod II, 155—159 edocet:

post ubi iusta uiri completa est roboris aetas,
paullatim insolitus sociam deperdere uitam
in foedas etiam rugas et inertia membra
mutari speciem uacuatis sanguine uenis,
constitit, haud habitum passus ueterascere carnis.

Ruina	Salus
nuntius (doli).	nuntius (pacis).
uirgo (Eua).	uirgo (Maria).
uir (Adam)	uir (Christus uel Adam secundus)
extendens manus	extendens manus
per lignum ('uitae')	per lignum (crucis)
uincitur (a morte).	uincit (mortem).
iam homines nudi	iam homines luce uestiti
et mortales.	et immortales.

Simillimis igitur rebus gestis vetus et nouom testamentum inchoari auctor finxit addens tantummodo tempore haec dramata diuersa esse. nam ut II, 146 ruinam et salutem *ex eadem massa* (i. e. ligno) *prodiisse*, ita eodem die locoque factas esse contendere non dubitat:

II, 161. *qua die quoue loco cecidit carissimus Adam,*
hac eadem redeunte die uoluentibus annis
in stadio ligni fortis congressus athleta (sc. Christus).

ibid. 200. *hic* (sc. Golgathae) *hominem primum suscepimus*[1] *esse sepultum,*
hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit.

quae cum ita sint, iam pridem editores uersum IV, 150 corrigere debuerant:

tempore diuisa et spatio et ratione ligata.

praue cum Fabricio Oehler post 'spatio' interpungit, eice priorem 'et' particulam et sic lege:

tempore diuisa, spatio et ratione ligata.

II. Quoniam saepissime auctor carminis ad illam superstitionem 'nudatorum' et 'uestitorum' hominum alludit, non abs re esse iudicaui, quae huc spectent uocabula adnotare: nudare I. 3. II. 88. — nudus I. 65. II. 91. 145. (cf. 237). — spoliare (proprio sensu ἐκδύω) I. 88 (II. 118) V. 49. (237). — spolium II. 167. — exuere II. 126 (166. V. 46). — exuuiae (II. 166). — uestire I. 210. 237. II. 123 conf. 237. (V 229). — reuestire V. 129. — tegere = uestire II. 89. 126. V. 129. — tegmen tegimen II. 88. 124. 143. — retegere II. 173 V, 243 (ed. pr. *retraxit*, lege *retexit*). — obtegere II. 131. — contegere IV. 114. II. 259 (= I Cor. 15, 53). — superinduere II. 258 (= I Cor. 15). — circumdare II. 261. — coperire (sic!) II. 91. — atque huc omnes spectant loci, quibus Christus agnus uel ouis uocatur, qui pelle (II. 89. 131 IV. 114. 162) uel lanitie (II. 123) sua homines induit.

[1] Non ipse igitur poeta tales interpretationes sacrae scripturae excogitauit, sed ab aliis suscepit et doctus est. sed qui sunt illi? quibus in ecclesiis talia tradebantur?

Sed hae interpretandi et argumentandi rationes, quas ipse auctor uocat, non ei suffecerunt, nouit aliam quoque haud ita diuersam artem sacrae scripturae explanandae, cui tam saepe indulget, ut nauseam nobis moueat: non enim omnia facta ueteris testamenti per se intellegenda docet, sed esse ea 'exempla'[1], 'imagines'[2], 'umbras'[3], 'typos'[4], 'species'[5] rerum a Christo gestarum, quas tamquam e speculo (II, 85. III, 43. IV, 65) homines ueteres inspicere potuerint[6]. tales typicas interpretationes modo conceptis uerbis profert, modo uno uocabulo quasi digito monstrat, modo nulla uoce indicat, quoniam tunc hominibus christianis sensum per se apparere sciebat. sic adhuc theologos fugit allegorica sabbatorum uis, de qua II, 204—214 agit; sic demum intellegi potest sensus conexusque uersuum 213 et 214

haec ineunte die sancto sperantibus in se
facturus plene pro pacto posse docebat.

uerisimile fit his duobus uersibus, qui nulla addita explanatione superioribus adnectuntur, Barnabae epistulam tam notam fuisse et auctori et hominibus, quibus carmen panxit, ut omnis figurae interpretatio superuacanea uisa sit[7]. id sane his uersibus euincitur auctorem item chiliasmi asseclam fuisse atque Barnabae epistulae auctorem et Commodianum[8] episcopum, qui sex milibus annorum mundum 'consummari' crediderunt[9].

---

[1] II, 136. 180. 186. III, 62. 75. 109. IV, 72. 160.

[2] II, 68. 84. 105. III, 41. 75. 96. 99. IV, 64.

[3] *umbra* (uide ep. ad Ebr. VIII, 5. X, 1. Coloss. II, 16): II, 51. IV, 65. 158. V, 215.

[4] IV, 132. 166. V, 14 (*quartus* — sc. liber — *et ipse refert obscura piacula legis esse typum ueteris*).

[5] II, 121. III, 258. IV, 71. 100. 177 et IV, 137 (*specialiter designare*).

[6] Fortasse illi termini technici ut patriam auctoris indagemus, permittunt. Semel *figura* (II, 102 fig. domini = ouis, pecus?) adhibuisse uidetur, quam uocem apud Tertullianum usitatissimam esse repperi.

[7] Vide Barnab. ep. totum caput XV. grauissima hic afferre libet: '⟨Ps. 90, 4⟩ Ecce hodiernus dies erit tamquam mille anni.' unde scire debetis quia in sex milia annorum consummabuntur omnia. 5. et quod dicit: 'requieuit deus die septima' hoc est: cum uenerit filius illius et amputabit tempus iniquitatis et iudicabit impios et mutabit solem et lunam et stellas, tunc bene requiescet in die septima. (interpr. uet.)

[8] Instr. II 39, 6—8. I 35, 6. Apol. 784.

[9] Multa in hoc carmine leguntur, quae Barnabae epistulam in memoriam nobis

Haec de fide auctoris monuisse satis habeo. uideant theologi. Quod si quis exspectandum mihi fuisse censet, donec codex repe-

---

reuocant. primum praeter typum sabbati supra memoratum hoc genus alia inueniuntur: IX, 8 Abrahae ἄνδρες τιή, quo in numero T σταυρόν significat; u. carm. III, 92—97 (Gideonis trecenti equites, *numerus tau littera graeca*). — XII, 3. Moses extendit manus 'in signum crucis'; u. carm. III, 64. — XII, 5. 6. Moses facit serpentem aeneum, ut figuram Iesu ostendat; u. carm. II, 169—171. — XII, 8. 9. Iesus, Naue filius, typus Christi = III, 67. 68. 75. — Attamen longe alia ratione 'hircorum duorum' et 'uaccae' typum explicat Barn. ep. VII, 6. VIII, 1 et carm. IV, 83—108. tenendumque est Barnabam templum Iudaeorum nondum typice interpretatum esse (uide cap. XII), qua in re noster multus est (IV, 109—200). — Maximam similitudinem exhibent Barn. ep. capita V. VI.: V, 8 'ad summam docens populum Iudaeorum et magna signa et monstra faciens: non crediderunt nec dilexerunt illum' (interpr. uet; textus graecus dubius): cf. carm. V, 131 sq. ubi 'Iudaeorum' significatio, quod iam Hueckstaedtius miratus est (p. 32 adn. 3), quasi per se nota omittitur. paullo post (V, 9) Barnabas haec uerba facit: 'tunc ostendit se esse filium dei. si enim non uenisset in carne, quomodo possent homines sanari.?' hinc et explanatio et emendatio uersibus V, 163—165 paratur:

namque hominem pariterque deum tunc facta probabant
commixtum nec pauca dabat signacula mundus,
filius ipse dei dum carnis membra requirit.

probabunt ed. pr. *probabant* ego. — *dabit* ed. pr. *dabat* ego. uersum 165 omnes edd. falso a prioribus seiunxerunt sententiarum conexum prorsus ignorantes. sed quaenam sunt illa signacula, quibus Christum filium esse dei ostentum est? inspice sis Barn. epistulam. ibi plurimi loci ex uet. test. coaceruantur, qui passionem Christi spectant. iam luce clarius efficitur etiam poetae uersus 166 usque ad 179, quibus passio Christi describitur, non ex euangeliis, sed ex uet. testamento petitos esse: ita ut uersus

166 respondeat Ies. 50, 6 (uide Barn. V, 14),
170 = Ps. 22, 19 (Barn. VI, 6),
169 = Ps. 68 (69), 22 (Barn. VII, 3—5),
167 = ? (Barnab. VII, 8). locum igitur adhuc nobis nimis languidum insubidumque uisum grauissimae argumentationis uim in se ferre uidemus. — non tanti aestumo, quod uterque de Iudaeorum sacrificiis idem iudicium facit; cf. Barn. ep. II, 4—6 cum carm. II, 99 sq.; imprimis B. II, 6: ταῦτα (sc. τὰ ὁλοκαυτώματα) οὖν κατήργησεν (Χριστός) et carm. II, 103: *sed spes et promissa fides mortalibus olim* (= Christus) *haec operata tulit* (= κατήργησεν). — maioris momenti duco consensum phraseon B. I, 8: ἐγὼ δὲ οὐχ ὡς διδάσκαλος, ἀλλ' ὡς εἷς ἐξ ὑμῶν ὑποδείξω ὀλίγα ('ego autem non tamquam doctor, sed unus ex uobis demonstrabo pauca' interpr. uet.) et carm. IV, 1—4

Haec populo iuueni, qui diues liber et heres
possidet aeternam spem, laudis iure ⟨dicamus⟩,

riatur, duas res secum reputato: primum non iam uerisimile esse codicem seu Fabricii seu alium inuentum iri, deinde certiore quam antea adhibita ratione non pauca erui et extricari posse. certe Fabricium integrum textum codicis nobis non praebuisse ualde dolendum est: en uerba eius, quibus se emendasse confitetur (comment. p. 133): 'de quibus similiter dicere possumus quot paene uerba, tot fuisse menda: quot uersus, tot maculas. quamuis autem plurimos errores sustulimus e uestigiis antiquae scriptionis: tamen lector in reliquiis uidebit, quantum adhuc supersit, quod emendatione egeat . . . multa contra praecepta fecit . . . qualia sunt quod caesuram licenter facit communem, item quod ablatiuum primae declinationis corripit, item quod collisionibus non usitatis indulget. quae quidem exagitanda non sunt, sed excusanda'. haec sane confessio uiri docti animum nostrum infringeret, nisi addidisset non omnes errores — quos ille putauit — sese euellisse, in uersibus emendandis codicis uestigia se secutum esse. atque in textu mutando Fabricium profecto leniter, ne dicam segniter, egisse comprobatur ut uersibus illis XIX a Victorino [1] quodam repetitis qui minima discrimina exhibent, ita facillimis coniecturis quibus rectam lectionem carminis restituere possumus. quid quod ne aperta quidem typothetae menda Fabricius delenda curauit? legitur apud eum: III, 71 *sttatuit* (pro *statuit*), II, 33 *suppremum* (*supremum*), II, 21 *commitere* (*committere*), II, 61 *Mathaeus* (*Matthaeus*), nunc *eclesia* (II, 194) nunc *ecclesia* (II, 190), alias *Ioannes* (II, 61) alias *Iohannes* (II, 108), modo *causa* (I, 219) modo *caussa* uel *caußa* (233. 234). scribitur *pascha* et *Pascha* (II, 68. 64), *apostolici* et *Apostolici* (III, 228. 280), *gigantes* et *Gigantes* (III, 19. 72), *ecclesia* et *Ecclesia* (II, 190. 194), denique II, 251 *Oportere* pro *oportere* et I, 141 *cerdone* pro *Cerdone*. saepe singula uocabula perperam coniunxit codicem, ut uidetur, secutus:

---

non ut doctores — solus ⟨docet⟩ omnia Christus.
sed famulos Christi iubet inuiolata potestas etc.

Matth. 23, 10. 11. — postremo Barn. ep. X, 9: λαβὼν Μωυσῆς τρία δόγματα οὕτως ἐν πνεύματι ἐλάλησεν, οἱ δὲ κατ' ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς ὡς περὶ βρώσεως προσεδέξαντο = carm. II, 242:

ille (Paulus) *quidem magna docuit, sed inania corda*
carnali sermone putant.

Has omnes similitudines si reputamus, aegre negare possumus auctorem Barnabae epistulam nouisse. qua de necessitate nouissimis editoribus (O. de Gebhardt et Ad. Harnack p. LIV) certa sententia nondum constitit: 'denique prorsus non confidenter sumendum auctorem carminum adu. Marcionem epistolam nostram legisse.'

[1] Vide supra pag. 6 adn. 6.

I, 48 *se cernere* (F. *secernere*), IV, 22 *factore creata* (F. *facto recreata*), II, 130 *eripere et* (F. *eriperet*), IV, 9 *detrahere et* (F. *detraheret*), II, 148 *de sponsa* (F. *desponsa*), II, 55. IV, 153 *a deo* (F. *adeo*). cum permulta uitia una uel duabus litteris mutatis tolli possint, ambigi potest, utrum typothetae an codicis deperditi scribae uindicanda sint: simul uero comparet quanta socordia Fabricius editionem pararit, quanta neglegentia codicem legerit, denique quantulam curam in textu emendando consumpserit. exempli causa nonnullas emendationes afferam eis quas ipse protuli asteriscum adfigens. II, 44 *sata** (*fata*) et III, 190 *fidus* (*sidus*), II, 2 *pestis* (*pectis*) et II, 78 *tectis esse** (*testis esca*), I, 191. 214. 227 *uicta* (*uita* uel *uincta*), I, 187 *deleto* (*delecto*) et 188 *conclusos* (*conlusos*), II, 34 *praeclusit** (*praeducit*) [1], V, 40 *conclusus** (*concisus*), III, 269 *sociati** (*satiati*) et V, 8 *sociatos** (*sacratos*). IV, 214 *ecfugerent** (*et fugerent*). I, 100 *uersus** (*uersis*), V, 62 *iunctus* (*iunctis*). I, 105 *errantes* (*errantem*), ib. 187 *merentes* (*merentem*), II, 153 *mortis* (*mortem*). I, 119 *acidi** (*tacidi*. Pamelius *tăbidi*, sed confer u. I, 52. III, 185. I, 216. Oehler *taciti*). I, 225 *cernatis** (*certatis*). I, 177 *reuocate* (*reuocare*). II, 4 *palans** (*pallens*). II, 12 *necans* (*negans*). II, 77 *fulta** (*multa*). II, 136 *usus** conf. ib. 186 (*unus*). II, 90 *delet* (*dolet*). V, 72 *Paulus docuit** (*Paulum decuit*), IV, 3 *docet** (*daret*), IV, 190 *dictum** (*ductum*), I, 178 *datur* (*detur*) et V, 126 *dat* (*det*). III, 95 *fusumque** (*fusaeque*). III, 184 *carcere* (*currere*). IV, 18 *praeditus*[2] (*creditus*). IV, 23 *locator* (*locatur*). IV, 54 *auctor* (*auctus*). IV, 82 *libros locutos** (*libro locutus*). IV, 117 *nucis** (*crucis*). V, 111 *inuiso** (*inciso*). IV, 146 *sub*ter ter*ra** (*sub terra*)[3]. V, 178 *apertum** secundum Verg. Aen. X, 314 (*aperto*). V, 187 *tacendum** (*tacendo*)[4]. V, 234 *uictu* (*uicto*). uirgulam quae *m* uel *n* litteram indicat, nonnumquam neglexit et omisit: I, 44 *miscentur* (*miscetur*). II, 28 *reprobant* (*reprobat*). II, 240 *negantur* (*negatur*). II, 156 *sociam uitam* (*socia uita*). II, 158 *speciem** (*specie*).

Quamquam hic mendorum laterculus incuriam editoris sat clare prodit, tamen uestigia textus consulto immutati non desunt: corrector quidam — haud scio an non Fabricius fuerit — duplicibus consonan-

---

[1] Iuuenc. euang. II, 761. 'illis clauduntur lumina mentis.'

[2] Buechelerus coniecit.

[3] Buechelerus sic uersum legit: *sub terra tamen haec ara uocitatur ahena.* — ed. pr. *uocatur.*

[4] Lego: *quamquam praecipites dicatis plura, tacendum* (sc. mihi est).

tibus si uocabula inchoantur, 'positionis' uim inesse ignorans hic illic textui manum intulit: I, 38 *certa spes** (*certat spes*). III, 9 *laetare sterilis** (*laetare o sterilis*)[1]. IV, 122 *ara stabat** (*aeris stabat*). IV, 151 *diuisa, spatio* (*diuisa et spatio*). I, 109 *uacua Christi** (*uacua et Christi*). I, 142 *refuga tribuit** (*refuga attribuit*). item languet *et* uocula I, 149. III, 6; *at* V, 125; *ne* I, 125.

---

[1] Confer latinas interpretationes ep. ad Gal. IV, 27 et Ies. proph. LIV, 1.

De carminis indole uolgari.

Incertum carminis auctorem ferreae latinitatis scriptorem uiri docti nuncupare solent[1]. sed plus affirmare licet: deterrimam uolgaritatem aetatis ferreae huic homini adiudicare non dubitamus.

Homines uolgares inuita Minerua litteras exercere ratio orthographica est testis certissima. en hic auctor, qui ne elementa quidem recte scribendi didicit: *cŏperire* (= cooperire) I, 136. II, 11. 91. III, 116. IV, 13. V, 174. 213. — *cohĕrere* (= cohaerere) IV, 201. — *celum* (= caelum) IV, 154[2]. — *ĕclesia* (= ecclesia) II, 42. 190. 194. III, 236[3]. — *Iŏănes* (an *Ioannes*?)[4] II, 108. IV, 139. — *săbata* (= sabbata) II, 207[5]. — haec exempla ex praesenti carminis statu, quamquam nonnullis locis immutati adiuuante plerumque re metrica pro certo affirmare et proponere possumus: quanto maior eorum numerus esset, si genuinum et integrum opus seruatum esset?

Iam pronuntiationem illegem planeque uolgarem animaduerte. Plauti Terentique fabulae nos edocent uolgo uoces 'deus' 'duo' 'suus' 'dies' similes monosyllabas sonuisse: cum uero hi uetustioresque poetae id genus synizeseos sine ullo scrupulo adhibuissent, urbani poetae hos sonos quasi uitiosos abominati tantum graecanico ut ita dicam genere et raro et in certis uersuum pedibus utebantur: talia sunt 'Theseī' 'Orpheī' 'aureō' 'alueō' 'Enipeō' alia. sed de illo prisco et uolgari synizeseos genere recte iam Lorey, qui hanc rem diligenter tractauit, iudi-

[1] Latinitatem scriptoris dignam esse, in quam diligentius inquiratur, nemo adhuc censuit: omnes qui de carmine scripserunt, paucis uagisque uerbis rem absoluont. quam breue et pressum Hueckstaedti de stilo iudicium est (l. c. pag. 11).

[2] Ex adnominatione probatur: *celestes patuere plagae celataque sancta.* uituperant hanc etymologiam Beda et Albinus (GLK. VII, 268 et 299): 'melius intellegitur caelum a pictura siderum quam a celando mortalibus arcana dictum.'

[3] Semel III, 291 *ĕclesia* uel *ecclesia.*

[4] Alia pronuntiatio II, 61 et III, 219. IV, 202.

[5] Bis *sābata* uel *sabbata* II, 204. 209.

cium fecit[1]: 'ueri simile uix esse eam loquendi rationem quae tam arcte tamque firme omnibus temporibus cum indole huius ipsius sermonis coniuncta esset, ut in comicorum uersibus tam certum locum obtineret, cum Latini Graecorum metra imitari incepissent, subito funditusque esse expulsam[2].' id cum aliis causis — uelut linguis Romanensibus — tum nostro carmine comprobatum uidemus. praeter usitatum et legitimum synizeseos genus: *deest* (I, 232), *deinde* (III, 294), *cui*[3] (III, 133), *cuius*[4] (II, 58) haec adhibet uetera et popularia exempla:

dei I, 40. 220. 235. II, 63[5]. 240. 261. III, 32. IV, 41. — *deo* I, 101. 210. 229. II, 55? 72. III, 17. 112. IV, 153? V, 207. — *deum*[6] V, 27?— — *dies* I, 164. — *die* II, 160. V, 50? — — *duos* I, 73. 153. — *duobus* IV, 101. — — *eadem* (ĕădem), II, 146. 162. V, 232. — — *suae* III, 35. 250. — *sui* II, 246. IV, 75. 79. — *suo* II, 91. 237. 250. III, 135. 298. IV, 83. V, 119. 238. — *sua* (sŭă) abl. I, 192. 230. II, 126. III, 101. 125. IV, 39. 108. — *unius* II, 41[7]. 101[8]. — his adde noua exempla et inaudita: *pio* II, 201. — *pia* (pĭă) abl. V, 127. — — *uia* (uĭă) abl. III, 165. — *uiam* II, 134[9]? — — *nouo* IV, 219. — *noua* (nŏuă) abl. II, 50. — fortasse *Ioannes* (uide supra pag. 17) prolocutus est.

Neque 'i' et 'u' uocalium pinguis sonus in hisce uocabulis hominem urbanum decebat: *Marcĭon* I, 41. 144. III, 297? *resurrectĭo* I, 108. *hostĭae* III, 156. — *coperŭit* III, 116. 174. *aperŭit* V, 108.

---

[1] Ferd. Lorey, dissert. Gotting. anni 1864: 'de uocalibus irrationalibus enunciandis apud poetas dactylicos latinorum.' p. 54 usque ad 68 Catulli, Vergili, Horati, Tibulli, Properti, Ouidi usum illustrauit.

[2] l. c. p. 69.

[3] *cui* uel *cŭĭ* legi potest I, 87. 78. 201. II, 70. 228. III, 107. 126. 173. 190. 294. V, 11. illi pronuntiationi fauet uersus supra memoratus, huic uersus I, 90 (*huic* bisyllabum).

[4] Nolo *cŭĭŭs* metiri, quoniam ab hoc poeta prima syllaba semper producitur: I, 43. 122. 125. II, 60. 75. 169. 248. III, 13. 29. 45. 60. 131. 170. 220. 292. IV, 19. 27. 85. 88. 128. V, 143. item *hūius* II, 191. 249. III, 14. 16. 161. 208. 279. et *ēius* III, 245.

[5] *spiritu sancta dei* ed. pr. emendandus est uersus secundum II ep. Petri I, 21 hunc in modum: *spiritu sancto dei* uel potius *spiritu dei sancto.*

[6] Lego: *complexu uario notum deum laude sequentes*; editio princeps habet: *dum* et *sequentem; sequentes* iam Pamelius emendarat.

[7] *unus* ed. pr. — *unius* ego.

[8] *unus* ed. pr. — *unius* Fr. Iunius.

[9] *ipse uiam* ed. pr. — *ipsam uiam* conieci.

Fortasse in hac quoque re fides habenda est editioni principi uel codici deperdito quem illa secuta uidetur esse, quod legitur *sedabit* (IV, 178) pro 'sedauit' et *peribit* (I, 227) pro 'periuit'[1].

Breuiter de re prosodiaca ut agamus, syllabas, quae non ad flexionem pertinent, contra usum urbanum

I. produxit:

prōfundus I, 1. IV, 17 (*prŏfundus* I, 161). *dīrimat* II, 93. *prōphetica* III, 129 (*prŏpheta* passim). haec tria exempla auctori tribuere non dubito, quod ex falsa analogia facile explicari possunt; eundem auctorem fūit (V, 69), dēum (III, 174. V, 135), tāmen (IV, 146), uīolentia (V, 183) pronuntiasse persuadere mihi non possum. hi uersus emendatione indigent.

II. corripuit:

ăthleta II, 163. *idŏla* I, 10. III, 144. *ĕclesia* II, 42. 190. 194. III, 236 (*ēclesia* III, 291). *săbata* II, 207 (ā II, 204. 209). *fĭunt* II, 229. *ĕnecare* IV, 44. *cŏperire* I, 136. II, 11. 91. III, 116. IV, 13. V, 174. 213. *cohĕrere* IV, 201. *aemulămentum* IV, 10. *uitĭcula* II, 231.

Syllabas finales, quae natura breues sunt, tantummodo in arsi sub ictus ui produxit: sed contra bonorum poetarum usum

corripuit has:

saepissime '*a*' finalem, quae est in ablatiuo primae declinationis: I, 16. 14. 33. 43. 115. 147. 157. 230. II, 13. 39? 43. 139. 255. 268. 226. III, 2. 24. 101. 165. 166. 253. 262? 263? 269. V, 147. 161. 183? 216. 250. — I, 228. II, 22. III, 165? IV, 18. V, 166.— I, 12. IV, 146. II, 51. III, 234. V, 50? 244? 250.

praeterea aduerbia et praepositiones in ā desinentia: *contră* IV, 87. II, 21. *extră* IV, 87. *posteă* I, 6. 155. III, 143. IV, 194. V, 144. 193.

'*i*' finalis corripitur in infinitiuo passiuo: *superinduĭ* II, 258[4]; *contegĭ* II, 259; *darĭ* II, 260; *circumdarĭ* II, 261; *exspectarĭ*[2] I, 13; *euacuarĭ*[3] V, 101.

sed '*i*' et '*o*' finales uocales in altera declinatione non corripiuntur. *dei, deo, sui, suo* similia per synizesin pronuntianda sunt. itaque u. V, 233 pro *angelo* dactylo potius *anglo* spondeus legi debet.

---

[1] III, 224. *obiuit* exstat.

[2] *exspectare* ed. pr. — *exspectari* ego.

[3] *euacuare* ed. pr. — *euacuari* ego.

[4] Numeri superscripti uersus pedem significant.

'*u*', qua ablatiui et datiui IV declinationis finiuntur, nonnunquam breuis est: *ambitŭ* IV, 20. *manŭ* V, 143. *spiritŭ* I, 34, II, 35. 247. 254. III, 218. IV, 165. 179. 210. V, 251.

praeterea notanda haec sunt:

nefăs I, 68. 97. V, 181. *uerităs* II, 186. *famĕs* III, 185 (nisi *famis* legere mauis). *daemonĕs* I, 51 (nom. plur.). *spiritŭs* gen. I, 94. III, 120. *hĭc* nom. sing. III, 284. V, 159. *adhŭc* IV, 48.

Transimus ad flexionis haud urbanae uindicias.

ossum nom. sing. II, 195; quocum Augustini testimonium conferatur (in ps. 138, 5): 'quod uolgo dicitur 'ossum', latine 'os' dicitur'.

spiritu dat. sing. IV, 161. V, 251.

spe gen. V, 108 et *fide* gen. III, 102 (cf. 148)[1].

tribus = tribubus V, 223[2].

sanguina plur. acc. IV, 57?

cur deus ergo iubet pecorum sibi sanguina[3] *fundi*?

In linguis romanensibus, in quibus genus neutrum occidit, uocabula, quae antea neutri generis fuerant, feminini facta esse uidemus. id factum esse per 'a' uocalem finalem (nom. et acc. plur.) nemo non intellegit. neque ab hoc uersificatore huius deprauationis uestigia aliena sunt: *manna, quod* IV, 168. *manna*[4] = abl. III, 116. — *paschae* gen. II, 64. 68. *pascham* acc. II, 80. 85. 120. *pascha* acc. II, 69. 112. his exemplis subicere non uereor *debita* = abl. sing. conferens francogallorum 'la dette' II, 149. 251. *debita* = nom. seu acc. plur. I, 186. II, 140. 152. 166. III, 149. 262? V, 239[5].

---

[1] Eandem formam exhibet Paulinus Petricordia in uit. Mart. VI, 157; cf. Neue, I[2] p. 379.

[2] Eadem forma legitur in codice Lugdunensi Pentateuchi, quem edidit Vl. Robert Parisiis.

[3] *sanguine* ed. pr. et cett. edd. et interpr. — *sanguina* ego.

[4] cf. Plauti 'schema ae'.

[5] II, 149. *debită* temere in *debitŏ* Rigaltius Oehler Hueckstaedtius mutauerunt; correptionem 'o' uocalis II declinationis res metrica nullo modo permittit. haud ita absurdum fuisset, si 'sine' praepositionem cum accusatiuo iungi uoluissent (u. Roensch I. u. V. 412[2]). si hanc explanationem non spernendam amplecteris, restat alter uersus II, 251: nam neque Oehleri coniectura, qui per parenthesin legit — *ea debita mortis* — neque Hueckstaedti lectio *et debitŏ mortis* satisfaciunt. *tegi* = uestiri (I, 237. II, 258. V, 46) cum accusatiuo uestimenti iungi fingens sic legebam uersum:

sord[*es*] *antiqu*[*a*]*s tectis et debita mortis.*

sordibus antiquis ed. pr.; attamen magis placet utrumque locum una ratione explicare quam alterum mutare.

In coniugatione haec digna uidentur, quae afferantur: *necui* = necaui II, 178. — *sponderat* = spoponderat III, 135. — *furiebat* II, 30.

Plerumque enuntiatis simplicibus, ut homines uolgares solent, poetam uti uidemus: simplicia enuntiata inepte accumulari et adnecti non nego (uide libri primi initium), sed abstinere eum a longioribus periodis et ambagibus dico. hae quam male ei cesserint ex quattuor exemplis concludas uolo:

II, 69. *sic uerum quid sit poteritis pascha uidere.*
V, 189. *ante diem quam cum pateretur.*
= ante diem quo passus est.
IV, 184. *hanc aram dominus dixit, qua munera si quis*
offert, ut primum pacem cum fratre retractet.
= dominus dixit, ut si quis munera ad hanc aram
offerat, is prius pacem cum fratre retractet.
II, 161. *qua die quoue loco, hac eadem* etc.
IV, 107. *abiectos alios, Lazaro ut diues iniquus,*
in sua duritie qui permansere repulsi.

elegantior haec periodus fuisset, si poeta postrema hemistichia inter se transposuisset:

abiectos alios, qui permansere repulsi
in sua duritie, Lazaro ut diues iniquus.

Neque uerborum constructiones ab eleganti sermone abhorrentes desunt. a uerbis sentiendi et declarandi non ubique acc. c. inf. pendet, sed nonnunquam seorsum enuntiatum per ut coniunctionem inducitur:

I, 204. *nec uelle illicite dominum culpare docendo,*
suscitet ut qui[1] *animam tamquam sit passa ruinam,*
liberet a morte et uiuenti facta maneret
copia de solo.

suo iure iam Hueckstaedtius et Oehler *ut qui* coniecere. quin eadem constructio etiam in uersibus paullo superioribus ab editore oblitterata sit, mihi dubium non est. lege

I, 201. *quin potius cui maior inest mortalis egestas*
possit ut aequari socio, praelatus et[2] *ultro*
quidquid eget, tribuat[3] *locuples: sic credere iussum.*

---

[1] *aut quem* ed. pr.

[2] *et* ego, *id* ed. pr.

[3] *tribuat* ego, *tribuet* ed. pr.

denique II, 152. IV, 49. VI, 253 'ut' legitur, ubi acc. c. infinitiuo exspectamus. 'quia, quod, quoniam' coniunctiones nusquam pro acc. c. inf. poni sane mirum est.

Vice uersa infinitiuom finalem pro 'ut', passim adhiberi non mirabitur, qui hanc consuetudinem scribendi in bibliis sacris sescentiens reperiri meminit. tamen nimis libera haec dictio est:

V, 139. *cum dominus Christus caro nasci uenit in orbe[m],*
Augusti regis Romani tempore primum
decreto gentes censu numerantur ubique.

Ablatiui gerundi usus latius quam uiro erudito licet, patet. facile intellegere et ferre possumus V, 111: *uisus ab inuiso*[1] *missus patiendo peregit.* haud ita II, 208: *lumina quae nondum dederat, cernendo peregit* id est 'ut cernerent' 'cernentia'.

Non deest praepositionum usus uolgaris:

'a' praepositio pro ablatiuo comparationis. IV, 144: *altior a tenebris* id est altior quam tenebrae aut, ut Tertullianus adu. Marc. IV, 34 eundem locum uocat, 'sublimior inferis'.

'in' c. acc. pro mero accusatiuo uel nominatiuo praedicatiuo (Hebraismus). III, 183: *in famulos fieri* = famulos fieri. — II, 76: *in signum suspenderat anguem.* — II, 169: *esset ut in signum* = ut esset signum.

denique praepositionis 'in', quae duos casus regit, uim confundi animaduertimus uel, ut φιλοσόφως rem describamus, notionem quietis et motionis ab auctore non secerni:

I, 167. *in sanguine uerti.*
I, 115. *qui caeco duce praecipites in fossa ruistis*[2].
V, 116. *ipsa cur in gente uenit terraque dicata?*
III, 297. *Marcion hic ueniens*[3] = huc ueniens.

Sermonis plebei grauissima fere et plurima testimonia ex copia et significatione uocabulorum colligi possunt. nonnulla infra, ut aetatem patriamque scriptoris inuestigemus, plura ubi hunc cum Commo-

---

[1] *inciso* ed. pr., emendaui supra pag. 9.

[2] Secunda fortuna accidit, quod auctor uersibus sermonem astrinxit: quod si non fecisset, procul dubio editorum manus omnia haec 'uitia' erasisset. uidesis quam stulte Fabricius et hunc secutus Pamelius illum uersum interpretati sint: '*in fossa ruere* pro *in defossa* i. e. in scrobibus latentibus perire'. nimirum fugit hos, quod uersus ex euang. Matth. XV, 14 depromptus est et auctor in suo textu idem uitium legit atque Commodianus poeta I 37, 4:

idcirco caecus caecum in fossa reducit.

[3] Plura infra leges pag. 45.

diano comparamus, pag. 47 sq. congessimus: hoc loco pronominis reflexiui atque particularum corruptam et adulteratam significationem[1] monuisse sat habemus.

suus = eius II, 222. III, 134 (cf. Ps. 132 (131), 11). 188. V, 195.

sibi = ei III, 113.

nam[2] aduersatiua particula = sed, autem I, 5? 27? II, 243. III, 95. IV, 109. 189. 209.

namque = part. aduers. V, 157? 163. 244.

uel = et III, 255. V, 55? 149 et al.

uel-uel = et-et III, 84.

ue = que I, 109 (nisi delere mauis). II, 160. 161. V, 194.

aut = et I, 210. II, 90—94. 207. 209. 217 et al.

ergo non causas, sed aliquando plane nouas res inducit I, 189. II, 127. 240. 250. III, 266. IV, 16. 43. 57. 96. 126. V, 31. 182. 188.

Denique ut finem his de uolgaritate quaestionibus imponamus, duo artificia poetica quae plebi semper adamata erant ne ab hoc quidem poeta contemni silentio premere nolo: et in 'adlitteratione' quam dicunt multus est et hic illic binos uersus continuos simili conclusit exitu, ut 'rimus' quem uocant existat. illius rei exempla afferre supersedeo, quod et unusquisque fere uersus testis est et G. Koffmane plurima collegit in 'Gesch. d. Kirchenl. I, p. 154': sed 'rimi' pauci mihi afferendi sunt, qui adhuc uiros doctos praeterierunt[3].

II, 21 *labore*, 22 *honore*.

II, 74 *templa subegit*, 75 *mente subegit*.

III, 82 *genti*, 83 *menti*.

III, 108 *uictoria signo*, 109 *femina ligno*.

III, 275 *plebique probatum*, 276 *ipse locatum*.

IV, 10 *aemulamenta locuti*, 12 *monumenta saluti*[*s*].

IV, 234 *amisere furentes*, 235 *affirmare uolentes*.

---

[1] cf. Roensch l. c. 345[2].

[2] Qui antea de hoc carmine egerunt, cum quadam neglegentia hanc uocularum significationem et uim praeterierunt. quid igitur miramur, si homines hac de causa conexum sententiarum perperam intellexerunt, si multa in hoc carmine obscure dicta queruntur? Hueckstaedtius l. l. pag. 12: 'Sehr fühlbar macht sich der mangel einer klaren disposition sowie eines planmässigen und systematischen fortschrittes.'

[3] Tales sonorum lusus alii quoque poetae christiani adhibuerunt: Commodianus, Sedulius, Paulinus Pellaeus (CSEL XVI, 1), Pseudocyprianus in carm. de Genesi.

III, 85 *uellus ut in nocte[m] positum de rore maderet*
et tellus omnis circum siccata iaceret.

conf. II, 228 *stridente rigore*, 230 *spirante lepore*.

Ex omnibus his indiciis luce meridiana clarius euincitur, cuius farinae sit uersificator incertus: non uolgarem, immo uolgarissimum poetam comprobasse nobis uidemur.

Qua cum sententia optime faciunt, quae de indole et eruditione poetae in tali subsidiorum penuria statuere possumus. ut taceam molestias quas ars uersus fingendi huic homini praebuerit, qui uersus explendi causa uoces ineptas ac superuacaneas adsuat et semet ipsum saepissime iteret: quos ille scriptores bonae elegantisque latinitatis legit? poetas quos secutus est? unum, quantum ex imitationibus conicere licet, Vergilium. sed hunc quoque propere raptimque uidetur legisse: quantulus est numerus uersuum ab illo mutuatorum, quam male ab eo artem uersus pangendi didicit, quantum in hac differt ab aliis poetis christianis felicibus Vergili imitatoribus, Iuuencum dico Prudentium Sedulium. Commodianum et Iuuencum poetas christianos magis ueneratur et amplectitur. hos diligentius saepiusque quam Vergilium peruoluit, horum uestigia premere ei cordi fuit, ex his, ut posthac seorsum monstrabimus [1], non pauca furatus est hemistichia, sententias, colores. sed inprimis biblia sacra perscrutatus in usum suum conuertit, quod et linguae colore et ipso textu saepe ad uerbum expresso satis illustratur.

Qualem adhibuit sacrae scripturae textum? graecum an latinum? ut ex multis [2] manifestum fit, latina uersione utebatur tali, quales ante Hieronymum legebantur, horrida [3] nimirum et incompta, magis graeci textus uerborumque ordinisque tenaci quam linguam latinam decebat. ceterum graecas litteras hunc auctorem didicisse non uerisimile est; etsi multa exhibet uocabula graeca, qualia sunt *genesis* (I, 12), *thesaurus* (I, 116), *organum* (I, 174. V, 87), *botrus* (II, 231), *chrisma* (III, 127), *psalmographus* (III, 130), *lychnus* (III, 98), *cataclysmus* (IV, 44), *typus* (IV, 132. V, 14), *baptismus* (V, 120), *tau* littera (IV, 92. 98); etsi quater quinquiensue graecarum litterarum scientia quodammodo gloriatur, tamen graeca eruditione et doctrina instructum esse hominem uix crediderim, qui quater *ĕclesia*, semel *prōpheticus* (III, 129), *ăthleta* (II, 163), *Anícĕtus* (III, 296), *Télesphoro* (III, 284) ebullierit — ut omittam *idŏla* (I, 10.

[1] uide infra pag. 32 adn. 2, pag. 33, pag. 42.

[2] uide infra pag. 27—32.

[3] Hieronymus ad Eustoch. cap. 30: 'si quando in memet ipsum reuersus prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus.'

III, 144) pronuntiationem omnibus poetis christianis peculiarem. illa uero frustula graeca aut ex uitae usu cottidiano aut ex christianorum conuentibus crebris aut ex ipsis illis priscis uersionibus excepit, quibus passim uoces graecas insertas easque postea in Volgata deletas uidemus. quod uero linguae graecae scientiam iactat, haud scio an non plus habuerit scientiae quam catechumeni nostri elementis sacrae scripturae in ludis publicis imbuti. en doctrinae specimina: ipse iudica:

II, 55. *atque a deo non uerba libri, sed missus in orbe est*
ipse Christus: euangelium est, si cernere uultis,
a patre qui uenit, solus bona nuntia portans.

II, 150. *Angelus haec mandata patris per sidera defert*
lucida, ut angelica credantur nuntia fama.

II, 177. *nuntius ille doli, sed pacis nuntius iste.*
nuntius = *angelus* II, 150. V, 233.

III, 126. *mirificus Samuel, cui reges ungere primum*
praeceptum, dare chrisma, uiros ostendere christos.

III, 179. *sanctus Hieremias* (ad ἱερός adludere uidetur).

III, 232. *hinc Paulus praelectus apostolus in uice missus.*

II, 120. *hunc pascham Paulus mactatum praedicat agnum:*
non species domini pecoris sublimis inertis
consimilis patitur, quapropter dicitur agnus.

sine dubio auctor falsam sed olim peruolgatam 'paschae' etymologiam (πάσχειν pati) spectat.

Neque linguae hebraicae scientiam altius repetitam esse ex paucis eius uestigiis facile concludas:

III, 198. *et angelus ipse Malachim.* cf. Commod. apol. 341: 'Hoc Malachiel cauit propheta, qui et angelus ipse'.

III, 6. *iam possunt gentes Abram*[1] *clamare parentem.*

II, 196. *Golgotha locus est capitis caluaria quondam,*
lingua paterna prior sic illum nomine dixit.

(= eu. Matth. XXVII, 33. Marc. XV, 22. Luc. XXIII, 33. Ioh. XIX, 17.)

II, 65. *hunc Paulus phase*[2] *conscribens decreta Corintho*
occisum tradit, uitamque deumque futurum.

= I Cor. V, 7. 'etenim pascha nostrum immolatum est Christus' (cod. Am.). mirum tamen est, quod auctor hoc loco *phase* uoce hebraica utitur, cum in uetustis uersionibus semper graeca forma *pascha* et in

---

[1] *et Abraham* ed. pr. — *et* del. Pam. Oehl. Hueckst.; confer Gen. XVII, 5.
[2] *face* Oehler (!); *pascha scribens* Hueckst. nescio cur.

uet. et in nouo testamento legatur; Hieronymus deinde in uet. testam. *phase* formam induxit (duobus locis exceptis I Esdr. VI, 19 et Ezec. XXXXV, 21)[1], sed in nou. test. *pascha* ne is quidem mutauit.

His quae adhuc disputauimus, optime consonat poetae de humanis fortunis opibusque sententia. Moses laudatur qui diuitias parui aestimarit:

III, 49. *spernens diuitias florentes tempore paruo.*

homo christianus, dum uiuit, ne opibus redundet, erit *caelesti diues in aula* I, 242; diuitias hominum paganorum proprias esse ducit:

II, 136. *gentes errore copertae, florentes opibus.*

III, 102. *florentesque fide gentes in laude receptae.*

cuicumque uero opes superant, is cum pauperibus has communicet, ut 'aequentur':

I, 201. *cui maior inest mortalis egestas,*
possit ut aequari socio, praelatus et ultro,
quidquid eget, tribuat locuples: sic credere iussum.

inde etiam proprium quendam huius poetae morem explicare debemus, quippe qui deum solum 'diuitem' arbitratus pro 'dei' uoce *diuitis* significationem usurpet: I, 199. V, 6[2]. IV, 93. 175. V, 108.

Sed haec hactenus.

---

[1] Sequor 'Concordantiam bibliorum . . nouo studio et industria theologorum Coloniensium reuisam etc. anno 1663'.

[2] Recte Hueckstaedtius *diues* in hoc uersu seruare conatur; fortasse uel ipsa forma *diuis* tenenda est; eiusdem auctoris est *nubis, famis* [*famĕs* ed. pr.]. futilis Pameli, quem edd. posteriores secuti sunt, coniectura: 'prout castigauimus *deus* pro *diues*, tum quod non semel his libris producat priorem syllabam dictionis *dei*, tum quod non soleant ueteres aliquos diuos uocare, denique quod ad institutum faciat deus unus contra plures Marcionis deos.'

De poetae aetate et patria.

Prius quam Hueckstaedti dissertationem inspexi, ipse mihi argumenta conquisieram, quibus et aetatem et patriam miri huius uersificatoris certius circumscriberem, quam adhuc factum esset. atque cum Hueckstaedtius neque omnibus uiris doctis persuaserit neque mihi quae de carminis patria sentit, comprobauerit, non abs re esse censeo dissimilibus uiis atque rationibus adhibitis alias copias proferre, quibus iudicia Hueckstaedtiana modo confirmem modo eleuem.

Tres imprimis res tunc me per auias et incultas regiones uagantem duxerunt: loci ex bibliis sacris petiti, aliorum poetarum imitationes, inusitatorum copia uerborum.

Quam sollicitus bibliorum pedisequos sit, non ex uno uersu intellegas quaeso:

IV, 34. *ex quo omnis patria in caelo terraque uocatur.*
= Eph. III, 15: ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται. (Volg. 'ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur.'). non solum quattuor euangelistas secundum ordinem uni uersui obtrusit:

II, 61. *illi Matthaeus, Marcus, Lucasque, Ioannes.*
sed etiam — mireris artificium — XII minorum qui uolgo nominantur prophetarum nomina tribus uersibus comprehendit neque ea promiscue, sed ex ordine apud LXX seruato:

III, 196. *Osea Amos Micheas Ioel*[1] *Abdia Ionas*
atque Naum Hebacuc Sophonias Aggaeusque
Zacharias uim passus et angelus ipse Malachim.

iam ex hoc ordine apparet interpretationem Hieronymianam uel Volgatam quae fertur non adhibitam esse. sed ordiamur propositum.

II, 267. *deuictum clamans crudelem corporis hostem,*
glutitam[2] *mortem fortis uictoria Christi*[3].

cum auctor inde a uersu 184 id agat, ut fusius prioris epistulae ad

---

[1] *simul* ed. pr. — *Ioel* Oehler.

[2] *glutitam* ed. pr.

[3] *Christus* ed. pr. — *Christi* Oehler.

Cor. caput XV explicet, dubium esse non potest, quin uersus 268 respondeat capitis uersui 54: κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος. Volg.[1]: 'absorpta est mors in uictoria.' haud ita Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, quorum uersio ex graecis libris fluxit, quorum textus pro νῖκος mutata orthographia νεῖκος exhibebat. Tertullianus[2] compluribus locis hunc textum affert: 'deuorata est mors in contentionem. ubi est mors contentio tua?' ab huius textu proxime abest Cypriani (Test. III, 58) et Hilarii[3] lectio: 'absorpta est mors in contentione (uel contentionem) ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua?' semel etiam Hieronymus (in Osee 13. col. 1329) hanc interpretationem usurpat, alioquin autem 'uictoria' obtinet. praeterea Sabaterio auctore 'uictoria' uoci fauent: Áugustinus (octies), Gaudentius Brix., Vigilius Thapsius, Gelasius, Cassiodorius, Fulgentius, Ambrosiaster, Beda[4]. ceterum poetam in textu sacro uocem 'gluttiendi', quae hodie nusquam reperiri uidetur, legisse non unam ob causam probabile est. primum enim locum simillimum habemus *ep. I. Petr.* III, 22: καταπιὼν τὸν θάνατον, quem omnes, quantum scio, interpretationes latinae sic exhibent: 'degluttientes mortem'. deinde uerbum 'gluttiendi' quibus hodie in Volgata legitur, tribus illis locis semper καταπίνειν in graecis exstat: *Iob* VII, 19: 'gluttiam saliuam meam'; *Matth.* XXIII, 24: 'camelum gluttientes'; *Eccli.* XXIII, 22: 'anima calida quasi ignis ardens non extinguitur, donec aliquid gluttiat.' illis duobus locis ipse sensus uerbum quoddam uolgare postulat, non hoc supremo; sed Siracidae librum Hieronymum non recensuisse notum est: sin recensuisset, sine dubio hoc uerbum remouisset, ut alibi: Ion. II, 1 (LXX καταπιεῖν). *deuoraret* Hieronymus, *degluttiret* Volg., *gluttiret* frag. Weing.[5] — et Ier. Thren. II, 16. (LXX κατεπίομεν) *deuorauimus* Volg., *degluttiuimus*

---

[1] Volgatae lectionem ubique ex cod. Amiat. sumpsi, cuius nouom test. edidit Tischendorfius 1854, uetus test. 1873.

[2] Das Neue Testament Tertullians, reconstruiert von Hermann Roensch. Leipz. 1871.

[3] Hilarium etiam alibi ad textum Africanorum inclinare notum est: u. Ziegler, die lat. Bibelübers. v. Hier. p. 54 sq.: in hac tabella ter occurrit Hilarius (Rom. I, 25. VI, 11, XIII, 13) et semper propius ad Tert. Cypr. Ticonium accedit quam ad ceteros.

[4] Ex Tert. adu. Marcionem V, 10 efficitur Marcionem legisse νῖκος, uictoriam; cf. Roensch l. c. pag. 684.

[5] E. Ranke, fragm. uerss. antehier. e codice Weing., editio repetita, Vindob. 1868.

Ambros., *⟨de? glut⟩tiamus* codex Wirceb.[1] — qui in eo uersu, quem noster mutuatur, 'gluttiendi' uerbum legerit, neque Sabaterio neque mihi adhuc innotuit. attamen his duabus uocibus *uictoria* et *gluttire* satis certo euincitur talem bibliorum uersionem, qualis Tertulliani atque Cypriani temporibus in Africa in usu erat, ab auctore incerto non esse adhibitam.

Idem ex his uersibus efficitur:

II, 258. *denique dixit oportere superindui uestem*[2]
hunc habitum fragilem, mortalem contegi formam.

= I Cor. XV, 53: δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύcαcθαι ἀφθαρcίαν, καὶ τὸ θνητὸν τοῦτο ἐνδύcαcθαι ἀθαναcίαν. Tertullianus sic legit (uide Roenschium l. c.): 'oportet enim incorruptibile hoc induere incorruptelam[3] et mortale hoc induere immortalitatem.' et sic fere Cyprianus et Hilarius. etiam Irenaei ueterem interpretem, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum infinitiuom act. *induere* legisse Sabaterius nos certiores facit. attamen semel et Hieronymus (in Ezech. 44 col. 1030) et Augustinus (ep. 55 col. 136 f.) hanc uersionem exhibent: 'oportet enim corruptibile hoc indui incorruptionem et mortale hoc indui immortalitatem.' hi igitur uiri interpretationem, quae graecam constructionem exprimebat, nouerunt semelque afferunt, cum Hieronymus ter, Augustinus septies altera lectione ('induere') utantur. sed etiamsi talis uersionis nulla haberemus indicia, tamen huius auctoris exemplar infinitiuom *indui* uel *superindui* cum duplici acc. iunctum obtinuisse pro certo affirmare non dubitaremus: primum enim iam Roenschius in libro clarissimo de Itala et Volgata hunc graecismum passim in codicibus occurrere notauit (p. 437[2]), tum uero in antiquissima quaque uersione eiusmodi constructiones non semel aut iterum, sed constanter semperque ad uerbum exprimuntur. idem graecismus bis praeterea in hoc poemate legitur:

I, 237. *uestitus lumen.* V, 46. *exutus carnem.* —
itaque hunc quoque locum a textu Tertulliani, Cypriani, Hilarii differre quis non perspicit?

---

[1] Par palimpsestorum Wirceburgensium. Antiquissimae ueteris testamenti uersionis latinae fragmenta e codd. rescriptis eruit Ern. Ranke. Vindob. 1871. 4⁰.

[2] Falso ed. pr. et omnes edd. post *uestem* interpunxerunt. ut in genuino sacrae scr. loco, ita in poemate sententiam bipertitam, non tripertitam statuere debemus.

[3] Etsi 'incorruptelam' sexiens, 'incorruptionem' semel legimus in Tertulliani codicibus, haud scio an 'incorruptionem' recte se habeat, quod etiam Cypr. (test. III, 58 ed. Hart. p. 159) et Hilar. (uide Sabat.) usurpant; 'incorruptela' autem ex Volgata inlatum uidetur, id quod saepe textui patrum ecclesiasticorum accidit.

Adeamus tertium locum:

II, 6. *inque bonum semen lolium miserabile seuit*

(sc. diabolus seu inimicus). — alluditur ad parabolam notissimam euang. Matth. XIII, 24—30. 36—43: ὡμοιώθη ἡ βαϲιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ ϲπείροντι καλὸν ϲπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺϲ ἀνθρώπουϲ ἦλθεν ὁ ἐχθρὸϲ καὶ ἔϲπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέϲον τοῦ ϲίτου κτλ. Tertullianus (uide Roensch l. c.)[1] ζιζάνια semper *auenae* notione latine reddidit. quid Cyprianus et Hilarius legerint, nescimus. *zizania* praebent plerique scriptores et codices: Ambrosius, Augustinus, Zeno Veronensis, Nicetius; codd. Cant. Verc. Veron. Carb. Brix. Rehd. Am. Fuld. Volg.[2] Prudentius poeta in praef. apoth. (u. 43—56) hanc parabolam accuratius enarrans et *auenas* et *zizania* dicit:

u. 45. *qui laeta Christi culta fur interpolat addens auenas aemulas.*

u. 55. *refert sed ipsa nosse quae messem necant, zizaniorum semina.*

semel autem liberrime et obiter ad hanc parabolam adludens praeter *auenas* etiam *lolium et lappas* ponit:

hamart. 216. *tunc lolium lappasque leues per adultera culta*
ferre malignus ager glaebis male pinguibus ausus
triticeam uacuis segetem uiolauit auenis.

ubi exstat 'lolium'? in solo codice Sangallensi[3], qui modo 'lolium' modo 'zizania' elegit (uide Roensch I. u. V.), et apud Commodianum et Iuuencum poetas. Commodiani carmen instr. II 14. inscriptionem et parastichidem *de lolii semine* prae se fert neque aliud herbae sterilis nomen in ipsis uersibus exhibet (cf. uu. 1. 3. 4. 7.): Iuuencus, quem 'euangelia hexametris uersibus paene ad uerbum transtulisse' Hieronymus tradidit (de uir. ill. 84), hanc parabolam libr. II, 759—811 et III, 1—16 enarrans sola *lolii* significatione utitur (II, 799. 800. 803. 808. 809. III, 1. 7.). neuter poeta uariandi gratia alia uocabula pro 'lolio' sibi permisit. quid hinc colligimus? primum, ni fallor, codices quosdam exstitisse, qui *lolium* translationem praeberent: tum poetam aut horum similem codicem aut illos poetas secutum esse aut, quod est mihi maxime probabile, utrosque simul, codicem dico et poetas.

---

[1] Roenschius tres affert locos. quartum addere poterat ex Oehleri indice, haer. cap. 31: 'parabola..., quae bonum semen frumenti a domino seminatum in primore constituit, auenarum autem sterilis faeni adulterium ab inimico diabolo postea superducit.'

[2] Roensch, I. u. V. p. 247.

[3] Ed. Rettig, Turic. 1836.

Quartum et quintum adiungimus locum, qui huius auctoris textum propius ad Commodiani quam Iuuenci exemplar accessisse doceant:

I, 115. *qui caeco duce praecipites in fossa ruistis.*

= Matth. XV, 14: τυφλὸς δὲ τυφλὸν ἐὰν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται = Luc. VI, 39: μήτι δύναται τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγεῖν; οὐχὶ ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται; poeta igitur βόθυνον per *fossa* uocem translatum legit. quid alii scriptores christiani? Tertullianus, Cyprianus, Augustinus, Hieronymus, Volgata nec non Iuuencus (II, 590) omnes *foueam* praebent. solum Commodianum cum nostro congruere inueni: Instr. 37, 4 et 14:

idcirco caecus caecum in fossa reducit et

tunc tamen in fossa[m] secum uos caeci deducunt. uterque igitur poeta eandem et uocem et uolgarem rectionem praepositionis adhibet. — Denique ad uersum sacrae scripturae iam supra allatum redimus I Cor. XV, 53: δεῖ γὰρ τὸ φθαρτὸν τοῦτο ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν. num casu factum esse putabimus, ut et Commodianus et hic poeta φθαρτόν adiectiuom reddant *fragilis*? Commodianus in carm. apolog. 788:

qui sicut audiuit fragilis in pristina carne

cum sit incorruptus, recognoscit ante promissa. quid igitur ueri similius est quam hunc poetam et Commodianum eodem aut persimili bibliorum sacrorum textu usos esse? hoc si recte disputauimus, facere non possumus, quin utrumque eiusdem ecclesiae i. e. eiusdem patriae fuisse statuamus; nam in certis regionibus etiam certa uersionum exemplaria uiguisse et comprobata esse cum per se probabile est tum a uiris d. demonstratum.

Lectori in bibliorum interpretationibus uetustis uersato non ingratum fore spero, si pluribus exemplis demonstrabo et Volgatam et Tertulliani interpretationem a poeta alienas esse et quae uersiones praeter Commodiani uersionem proxime ab illo absint. Volgatam non adhibitam esse VIII aliis locis comprobari licet. I) Num. XIII, 17. Volg. *uocauitque Moyses Osee, filium Nun, Iosue;* poeta ⟨III, 67⟩: *Iesus, Naue filius, Auses ante uocatus*; his graecis nominum formis omnes ueteres scriptores (Tert. Cypr. Aug. etc.) et codices (Lugd. Monac.) utuntur. — II) Gen. XXI, 19. Volg. *deditque puero bibere*; poeta ⟨III, 5⟩ *potat* (= ποτίζει); notum est in uetustissima quaque uersione ποτίζειν per 'potandi' uerbum reddi. — III) Exod. XIX, 16. Volg. *clangorque buccinae;* poeta ⟨V, 218⟩ *cantuque tubae*; neque dubium est quin textus poetae has ipsas uoces praebuerit, si conferimus Hos. V, 8: *clangite baccina* Volg., *canite tuba* frag. Wirceb.; etiam Commodianus apol. u. 227 phrasi *tuba canere* utitur. — IV) Ioh. III, 5. Volg. *ex carne, ex spiritu;* poeta ⟨II, 254⟩ *de carne, de spiritu;* illam praepositionem adhibent codd. Fossat., Sangerm., Sangat., Mai. Mon., hanc Tertull., Cypr., Hilar., Aug., Concil. Carthag., Vict. Afer. — huc adde quattuor locos sequentes.

Tertulliani textum his VII aliis locis discrepare uidemus. I) Eph. V, 32. *mysteria* poeta ⟨II, 189⟩, Iren. uet. interpr., Hilar., Ambrstr.; *sacramentum* Tertull. Cypr. Ambros. Volg. — II) Ps. CXXXII, 11 (Act. ap. II, 30). *cui deus ex uteri fructu*[1] *promiserat olim prolem sublimi solio suo ponere sanctam* poeta ⟨III, 133⟩); *ex fructu uentris tui collocabo super thronum tuum* Tert.; *de fructu uentris tui ponam super sedem tuam* Volg.; *ex f. u. t. ponam s. sedem t.* Ambr. Aug. — III) I ep. Ioh. I, 1. *tractauere manu* poeta ⟨III, 229⟩; *contrectauerunt* Tertull. *temptauerunt* Volg. *tractauerunt* Aug. *perscrutatae sunt* Ambros. *palpauerunt* Hieron., Vict. Afer. — IV) Apoc. VI, 9. *ara* poeta ⟨IV, 140⟩, Cypr. Hilar. Primas.; *altare* Tert. Volg. — V) ibid. *uindicta* poeta ⟨IV, 140⟩, Hilar., *uindicare* Volg., *ulcisci* et *ultio* Tertull. (de or. 5 et de res. carn. 25). — VI) Ioh. XIX, 34. *apertum* poeta ⟨V, 178⟩, *aperuit* Volg. *perfodit* Tert. — VII) II Cor. XII, 2. *in caelos raptus* poeta ⟨III, 233⟩, Ambr. Aug. Volg., *ereptus* Tert.

Augustini textum his locis et eis, quos supra pag. 28 et 29 attulimus, cum poeta facere uidemus, bis tantum discrepare pag. 30 et 31. denique codices Lugdunensem et Claromontanum affinitatem quandam prodere negari nequit, etsi maior exemplorum copia nos deficit. illum codicem iam supra pag. 8 memorauimus: addimus Num. XXI, 8 *in signum* poeta et Lugd., *pro signo* Volgata. codicis Cl. tres loci praesto sunt. I) Ebr. XI, 25. *maluit afflictus populi portare labores quam sibi delicias multasque remittere poenas* poeta ⟨III, 50. 52⟩, *magis eligens affligi cum populo dei quam temporalis habere peccati iucunditatem* Volg., *maluit enim experiri adfectum (adflictum?) populo dei quam temporale habere peccatum* (?) *delicias* cod. Cl., *maluit enim afflictis compati quam temporalibus delectari* Ambr. (in ps. 43). — II) Matth. XXVI, 29. *creatura* poeta ⟨V, 194⟩, Cypr. codd. Colb., Corb. II, Cantabr., Clarom., *genimen* Volg. — III) Gal. IV, 23. *de libera natus* poeta ⟨III, 2⟩; *de* cod. Sang. Clarom., Ambros. Aug. Hieron. Ambrstr. Beda. Volg., *ex* Tert. Hilar. Ticonius.

Imitationes alterum itineris ducem dixi. ut hoc loco Vergili[2] et

---

[1] *utero fructum* ed. pr., correxi.

[2] Hi incerti auctoris uersus uestigia Vergiliana prae se ferunt. I, 2 A. XI, 49. X 648. 627; 8 A. VI 267; 44 A. XII 714; 45 A. II 661; 114 A. VI 163; 116 A. XII 908; 117 A. XII 755; 131 A. IV 514; 143 A. IV 39; 201 G. III 319; 213 A. X 672; 225 (II, 68) A. XI 386. V 754. — II, 62 A. VIII 404; 119 A. I 451. II. 354; 121 A. IV 158. IX 727; 125 (III 125. IV 89) A. VI 121; 132 A. IX 63; 135 A. III 651; 135 A. III 102. VIII 356. 312; 139 A. XI 763; 151 IX 472; 158 G. III 460; 162 A. I 234; 183 A. IV 105; 184 G. I 432. A. X 510; 188 A. XI 27; 192 A. XI 30. — III, 14 E. II 33. III 101. G. II 529; 31 A. IV 350; 85 A. V 856; 93 A. IV 472; 106 A. IX 686; 165 (V 245) A. IX 354. VI 96; 185 (I 52) A. III 137; 189 A. IX 451; 302 A. II 680 III 26. VIII 81. IX 119. X 636. G. IV 554. — IV. 15 G. IV 1; 56 A. XI 156; 59 A. XII 760; 63 A. VI 399. XI 408. — V, 65 A. VI 430; 78 A. I 350; 117 A. I

Commodiani[1] imitationes missas faciamus, maximi momenti huius poetae cum Iuuenco consensus est. En uersus similes: I 16 J. II 467. IV 754; 41 J. II 119; 89 J. III 771; 92 J. II 294; 105 J. IV 353. II 343; 127 J. IV 790; 137 J. III 349; 148 J. II 413; 184 J. II 627; 186. J. III 446; 187[2] J. I 415; 177 J. II 360; 197 J. IV 303; 242 J. III 496. 437. I 644. — II 15 J. praef. 6; 34[3] J. II 761; 34 J. II 204; 37 J. III 587; 44 J. I 312; 81 J. II 773; 141[4] J. III 184 sq.; 150 sq. J. IV 470; 151 J. II 342; 153 J. II 383; 156 J. II 68; 158 J. II 396; 184[5] J. I 113; 187 J. I 241; 250 J. II 193. — III 22 J. II 689; 32 J. III 508; 113 J. III 642; 117 (IV 192) J. III 358; 120 J. I 730. — IV 56 J. I 217; 195 (231. V 137) J. III 192; 215[6] J. II 104; 71 J. II 673. — V 79 J. III 478; 106 J. I 407; 99 J. III 207; 122 J. III, 139; 146 sq. J. II 129 sq.; 226 J. III 521; 173 J. II 238. sed uter utrum imitatus est? hunc uolgarissimum poetam 'toties', ut ait Rigaltius, 'uiolatae prosodiae reum, toties rebus tractandis imparem, toties telis in hostem stringendis hebetem et inficetum' Iuuenco tamquam exemplar diligentis bonique poetae ante oculos uersatum esse, quis credet, si solam praefationem huius poetae perlegerit? qui conceptis uerbis Homerum et Vergilium se secutum esse dicit, is poetam uolgarem, quamquam christianum, fugit et spernit. hoc si recte statuimus, sequitur ut carmen adu. Marcionitas post annum 330 p. Chr. n. ortum sit, quo fere anno Iuuencum carmen suum edidisse et ipse (IV, 805—811) et Hieronymus in chronicis testis est. si imitationem respicimus, porro terminum 'ante quem' qui dicitur, annum fere 400 p. Chr. n. sumere non dubitamus, quando quidem Auieni Ausoni Prudenti poetarum, qui uergente saeculo IV floruerunt, nec uolam nec uestigium indagare potuimus. si Prudentius[7] ante hunc auctorem carmen de Hamartigenia condidisset, nonne mirum esset, si Pseudotertullianus Iuuencum euangeliorum uersificatorem quam eius popularem Prudentium Marcionis acerrimum oppugnatorem sequi maluisset?

---

620. IV 381; 178 A. X 314; 214 A. III 114. IV 538; 222 A. I 614. IV 276. VI 76. IX 5. 317.

[1] Vide infra pag. 42.

[2] Lege *conclusos* pro *conlusos*.

[3] Lege *praeclusit* pro *praeducit*.

[4] Lege *error* pro *unus*.

[5] *mira fides* est interiectio.

[6] *miri* ed. pr., *sancti*?

[7] Carmina sua anno 405 p. Chr. uno ut uidetur uolumine emisit, si praefationem eius sequimur: sed quis spondet unum alterumue carmen non iam antea publici iuris factum esse?

Iam tertium, quem proposuimus, ducem ad aetatem patriamque incerti auctoris inueniendam consulamus, copiam inusitatorum uocabulorum. quaestionis ratio postulat, ut ea sola uocabula ex magna farragine quam in nostrum usum congessimus, delibemus, quae apud paucissimos scriptores legantur. eis uocabulis, quae[1] ab hoc auctore adhiberi in lexicis nondum relatum est, crucis signum appinximus.

apertor ἅπ. εἰρ. II, 108. — cf. *apertio* Apul. met. XI. Pallad. I, 6. Varro d. r. r. I, 63. Seru. ad Aen. IV, 301. *apertura* Vitruu. (ter); Vlp. dig. 28. 5.

† *figurator* I, 39. Arnob. 6. 10.

fugator V, 227. — cf. *fugatrix* Tertull. adu. gnost. 12.

† *mundator* ibid. Firm. math. VIII, 19 et Augustinus.

† *redditor* I, 198: *mercedis redditor aequus.* hac significatione Aug. ep. 138, 15 utitur; ceteroquin haec uox notionem 'uindicis' et 'refectoris' habet.

† *agnomen* V, 80. Diomed. 321 (lin. 3. 9. 27.) = Prisc. lib. II (pag. 57, 12. 58, 5. 11.). Cod. Iust. — cf. *agnomentum* Apul. apol. 56.

contamen = contagio, labes, immunditia. I, 22. IV, 92. V, 22. Mart. Cap. I, 10 (ed. Eyssenh.).

† *examen* IV, 61: *corripiens plebem peccati examine pressam.* raro haec uox cum abstractis iungitur; Georges affert Arnob. (*maerorum ex.*) et Amm. (*dilationum ex.*).

† *aerius*[2] = caeruleus IV, 162: *aeriae pelles.* haec significatio apparet ex uersu 114, qui de eisdem agit pellibus: *pellibus agnorum caeli contecta colore.* Volg. Esther VIII, 15: *uestibus regiis, hyacinthinis uidelicet et aeriis* [*aerinis* cod. Am.] = LXX: τὴν βασιλικὴν στολὴν ὑακινθίνην ἀερίνην. — adde Volg. Esther I, 6: *et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris* qui locus in LXX non legitur. Tertullianus simili adiectiuo *aerinus* eundem colorem notasse uidetur

---

[1] Vituperanda sunt lexica, quae compendi gratia pro 'Pseudo-Tertulliano' uel 'Incerto' saepius 'Tertullianum adu. Marc.' auctorem exhibeant et non uersuum, sed capitum a Pamelio quondam distinctorum numeros adscribant: quo fit ut non solum lectores, sed ipsi uiri lexicographi haec uocabula Tertulliano, quem V adu. Marc. libros scripsisse magis innotuit, uindicent; inspice in Georgis lexico *reuestiendi* uerbum (Ps. Tert. V, 129 et semel Tert. de carn. c. 42). *mortificus* adiectiuom sine ulla exceptione inde a Gessnero usque ad Georgem falso in lexicis fertur: 'lib. 4. cap. 5'; lege III, 5 uel potius III, 167. non dubito, quin Georges, quo est studio emendandi sui libri inflammatus, in proxima optimi lexici editione his uocabulis certiorem notam et auctoris et uersuum sit affixurus: *apertor* ⟨II, 108⟩. *fugator* ⟨V, 227⟩. *illaudandus* ⟨III, 181⟩. *lanities* ⟨II, 123⟩. *omnitenens* ⟨V, 202⟩. *praetestari* ⟨III, 176⟩. *testamen* ⟨III, 99⟩. *inquaesitus* ⟨V, 67⟩ et additurus: *locator* ⟨IIII, 23⟩ = Hersteller, creator.

[2] Hac uoce uolgari etymologia 'caerulei' adiectiui firmatur: id olim nimirum 'caeluleus' erat.

de cultu fem. I, 8: *nisi si non potuit* ⟨sc. deus⟩ *purpureas et aerinas oues nasci iubere.* quem colorem Tertullianus de anim. 9. significare uoluerit, non ausim diiudicare: *anima . . . lucida et aerii coloris*, neque multo post: *quem igitur alium animae aestimabis colorem quam aerium et lucidum?*

deuictio I, 108. Georges affert Hilar. trin. 11, 35.

dulcor I, 129. Tertull. adu. Marc. III, 5 [= Ioel III, 18[1] (γλυκαcμόc)] *montes legimus destillaturos dulcorem* (Volg. *stillabunt montes dulcedinem*). Volg. Eccli.[2] XI, 3 (= γλυκάcματα).

† *dissitus* IV, 148. noli hanc uocem cum part. perf. 'disserendi' uerbi confundere, quod idem ualet ac 'dispersum', 'disseminatum'. hoc compositum participii *situs* solum Apuleium nouisse lexica contendunt: met. VII, 23. VI, 10. — flor. 2 (pag. 2, 8 Kr.) *longule dissita* opponuntur *proxime assitis.*

† *falsare*[3] V, 80. Modestin. dig. 48. 10. 32. § 1. — Ambros. de fide 2. 15. 135. Hieron. c. Ruf. Sulp. Seuer. dial. 1, 6. 2. — cf. *falsatio* Hier. c. Ruf. Iren. interpr. uet., *falsator* Aug. serm., Hier. c. Ruf.

† *furio* = furo II, 30. Diomed. I, p. 379 K. *item furis, furit: raro furio inuenitur.* Macrob. (exc. Bob. G. L. K. p. 654. l. 22) *item furis, furit, cum furio usus ignoret.* (agunt grammatici de prima persona singularis non usitata). Aug. de ciu. d. VI, 9, 1 (= p. 263, 18 Domb.): *ludunt quippe ibi, non furiunt.* Sidon. carm. 22, 94: *ut furiat.*

illectare II, 67. Paul. ex Festo, Claud. Sac., Ambros. Augustin.

innumeratus II, 17. Rufin. Orig in num. homil. l. I, 1.

† *infractus* = non fractus III, 251. Hieron. uit. Paul. 8: *infractus et hoc Antoninus spectaculo.* Symm. ep. I, 3: *fractae opes infractos animos reppererunt.* Georges citat Plauti frag. a Paulo Festi seruatum *clunes infractos fero*; Nonius *clunes desertos gero.* Ritschelius et Winter frag. Plaut. 5: *clunes infractos gero.* sed recte iam Gessnerus et Forcellinus hunc locum omittunt et Ritschelius 'infractus' ab infringendo deriuat.

† *merito* 1) praep. c. abl. II, 72. III, 21. 101. sic Commod. apol. 399. — c. gen. Apul. Tertull. Script. histor. Aug. (u. Roensch I. u. V.) 2) *merito quia* = ideo quod I, 185. 207. II, 32. saepissime apud Tertullianum inuenis.

† *minae* = pinnae IV, 7: *excelsas turres et moenia saeua malorum*
surgentesque minas populi contra agmina sancti.

Verg. Aen. IV, 88 et Ammianus (quinquies).

mortificus[4] ἅπ. εἰρ? III, 167. — cf. *mortificare.* Tertull. d. res. carn. 37. *mortificatio* id. adu. Marc. V, 9. *mortificatus* Prud. cath. X, 100.

---

[1] = Amos IX, 13 ἀποσταλάξει τὰ ὄρη γλυκασμόν.

[2] Semper teneamus librum Siracidae ab Hieronymo non recensum esse; quo factum est, ut uel in Volgata non pauca prioris uolgaritatis uestigia is liber seruarit.

[3] Gessnerus perperam genuini Tertulliani adu. Marc. V, 3 hoc uerbum esse notauit; ideo fortasse Forcellinus, Georges, alii omiserunt.

[4] Val. Max. V, 61: *mortifico* cod. Bern., quem sequitur Halm; *mortifero* cett. codd. et C. Kempfius, qui in sua ed. haec adnotat: 'mire optimus omnium

omnitenens V, 202. Aug. conf. XI, 3.

†*operata* = pass. II, 104: *sed spes et promissa fides mortalibus olim haec operata tulit.* sic enim haec probabilius explicantur quam ἐργαcαμένη. (actiue: II, 134 *uiam, qua mors operata ruinam est*). affert Neue II, 308 Tertull. praesc. haer. 29. et adu. Marc. V, 18. Lact. inst. VII, 27. 4. Iul. Valer. res g. Alex. I, 23 (18).

†*praelectus* = electus III, 222: *Paulus praelectus apostolus.* solus Apul. met. VII, 11: *praelectum grandem hircum annosum et horricomem.*

†*recludere* = includere III, 298. IV, 148. hic uerbi usus latius patet quam in lexicis uolgo fertur, quae inter alia Volgatam[1] omittunt. Stat. silu. III 4, 98? Tertull. Ammian. Iustin. (bis). Pallad. (bis), Iustin. instit. Seru. ad Aen. III, 92. tamen notandum est post Statium — si eius lectio integra est — primum Tertullianum Afrum adhibuisse illam uerbi notionem genuinae significationi non solum dissimilem, sed etiam contrariam. eadem peruersio notionis accidit in uerbo sequenti:

†*retegere*[2] = tegere, uestire (non 'detegere') II, 173: *atque suum uictor capitiuum luce retexit.* Pallad. XI, 7, 5.

reuestire V, 129: *et iam despectum uictor sua luce reuestit.* cf. uersum modo allatum. semel Tertull. d. res. carn. cap. 42 ⟨sub fine⟩.

†*signaculum* = cφραγίc V, 164: *nec pauca dabit signacula mundus.* uox prae ceteris Tertulliano peculiaris; uide indicem ab Oehlero confectum (septies legitur). Prudent. Apoth. u. 294. adu. Symm. I. 568. Psych. 360. Volg. (Eccli. 17, 18. et al.)

†*unire* V, 204: ⟨Christus⟩ *cum patre semper erat unitus gloria et aeuo.* Seneca nat. quaest. II, 2. 4 ('als versuch eines philosophischen term. techn.'): sed urbanis scriptoribus hoc uerbum placuisse non uidetur: centum demum annis post Africitas hoc uerbum instaurauit: Apul. met. II. Tertull. de anim. 17[3]. Arnob. Iul. Val. I, 24 (1, 31). Sulp. Seu. chron. 2, 43. 1. Prisc. VIII. 96: *uno, unas; unio unis.*

In tabella proposita, ut aliquid inde lucremur, discernenda est dialectus unius prouinciae a latinitate toti orbi communi, Africani seiungendi a ceteris scriptoribus. africitatis igitur factione remota qui potissimum auctores remanent? Firmicus mathem. (c. 350 p. Chr.)[4]), Palladius (c. 350), Diomedes (c. 359), Symmachus (cos. 391), Ammianus

---

codex Bern. *mortifico* exhibet. neque enim credibile est solum Valerium qui et ipse alibi *mortiferum* dixit, uno hoc loco uocabulo usum esse, quod infimae demum aetatis scriptores adhibuerunt.' —

[1] Vide 'Concordantias'.

[2] Valde dubia est Suetonii auctoritas Oct. 78: 'post cibum meridianum ita ut uestitus calceatusque erat, retectis pedibus paullisper conquiescebat opposita ad oculos manu.' uide adnot. Fr. A. Wolfii.

[3] Falso Georges: 'Tert. apol.' — cf. ed. Oehleri II, p. 581, 10: 'sic caelum mari unitur.'

[4] Sequor in numeris afferendis Teuffeli librum 'Römische Litteraturgeschichte'.

(c. 330—400), Hieronymus (331—420), Seruius (natus c. 355), Ambrosius (c. 340—397), Rufinus (c. 345—410), Sulpicius Seuerus (c. 365—425), Hilarius († 368). en certiorem quam ipsi effecturos nos speraueramus rationem: omnes hi auctores altera quarti saeculi parte uitam egerunt. quam ob rem si non pro certo, tamen summa cum ueri specie affirmare nobis licet hunc quoque incertum auctorem alteri IV saeculi parti tribuendum esse.

Quid faciamus eis auctoribus, quos in hanc rationem non recepimus? non aetatem, sed patriam incerti poetae illos indicare quis non intellegit? omnes communem sibi uindicant patriam Africam: Apuleius, Martianus Capella, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Augustinus. quo consensu perductus incertum auctorem natione Africanum esse ingenue fateor.

Etiam ipsa forma rariorum uocabulorum, quae huic carmini insunt, indolem africanam prodere uidetur. hanc quaestiunculam ut iam breui absoluamus, Iosephus Schmidt in commentatione quam de nominum uerbalium in *tor* et *trix* desinentium apud Tertullianum copia conscripsit Erlangae anno 1878, apud Tertullianum 106 noua substantiua in *tor* desinentia et 47 noua in *trix* inueniri contendit. compara usum incerti poetae. praeter notiora substantiua *diuisor conditor auctor* (in uno uersu IV, 24), *amator creator doctor corrector raptor rector successor uictor* haec adhibet ἅπαξ εἰρημένα· *ablutor* III, 221. 222. *apertor* II, 108. *locator*[1] IV, 23. *fugator* V, 227 (*fugatrix* Tertull.) et quae haud ita usitata sunt *figurator* I, 39 (praeterea apud Arnobium). *mundator* V, 227. *redditor* I, 198. *refector* II, 211. *factor* IV, 22[2]. 227. II, 141. 211. *renouator*. I, 39.

Carolus Sittl de substantiuis in *men* exeuntibus hanc sententiam tulit[3]: 'betrachten wir die dem nachklassischen Latein eigenen substantiva auf *men*, so sind unter 43 mir bekannten bildungen 23 blos afrikanisch, 6 zuerst von Afrikanern gebildet, dagegen nur 4 in andern provinzen entstanden und 10 den Afrikanern fremd.' id genus nomina

---

[1] Lexica hanc significationem male ignorant. in editione pr. typothetae errore *locatur* legitur, quod iam Pamelius recte emendauit. *locator* autem comprobatur et sensu et simili sequentis uersus exitu et primo uersu carminis de Gen.: *principio dominus caelum terramque locauit.* sic meliores codices (Spicil. Solesm. I, p. XXXIX); *creauit* deteriores (Cypr. ed. Hartel).

[2] Sic uersum lege: *quae fuerit semper nullo factore creata.*

[3] Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Spr. Erl. 1882, pag. 140.

exhibet carmen aduersus Marcionitas et notiora: *agmen* III, 289. IV, 8. III, 81. *germen* II, 207. 233. 255. III, 297. IV, 117. V, 58. 86. *lumen*. *semen*. *uelamen* IV, 86. 94. 147. 153. *uolumen* III, 78. IV, 69. 198. *spiramen* I, 75. V, 39. 91. *tegimen* uel *tegmen* II, 88. 124 et rariora: *agnomen* V, 80. *contamen* I, 22. IV, 92. V, 23. *sagmen* = res sacra IV, 120, et ἅπαξ εἰρημένον *testamen* III, 99. quibus substantiuis addi debet numerus pro hoc carmine sat magnus nominum in *mentum* finitorum: *aemulamentum* IV, 10, quod est ἅπ. εἰρ., *argumentum* V, 18. *fundamentum* V, 175. *instrumentum* V, 147. *monumentum* II, 135. IV, 11. 232. *nutrimentum* IV, 10. *pauimentum* IV, 212. *testamentum* IV, 113.

Etiam illud semel dictum *illaudandus*, quod exstat III, 187, Africitatis uidetur esse. talia enim adiectiua raro leguntur; si excipimus notum adiectiuom *infandus*, haec in lexicis feruntur: *impaenitendus* Apul. met. XI, 28. *incredendus* Apul. (ter). *indubitandus* August. ep. 82, 7. *inenarrandus* Hilar. de trin. (bis). *intolerandus* Pacuu. Cicer. alii et Gell. X, 12, 1. XVII, 8, 8. *intemerandus* Val. Flacc. V, 642. *irreuocandus* Claud. b. Get. XII, 3.

Denique adiectiuorum quae ab *in* particula negatiua exordium faciunt et in *bilis* desinunt, longe maximam partem, si lexica consulueris, Africanorum scriptorum esse inuenies. Hic auctor usurpat: *incredibilis* I, 151. *inemendabilis* I, 156. *inenarrabilis* IV, 138. *inuiolabilis*[1] I, 236.

Si ea quae de uerborum copia supra et de eorum formatione modo disputauimus, nobiscum reputamus; si artam — et proximo capite seorsum demonstrandam — affinitatem Commodiani deprehendimus, quem seu natu seu munere Africanum sermoni Africano indulsisse tantum non omnes uiri docti statuerunt; si incertum auctorem quamuis longe alio textu bibliorum sacr. usum, tamen haud raro in sermone cum Tertulliano facere uidemus: Africanum eum fuisse negare nequimus neque Hueckstaedtio credere possumus, qui Romae carmen confectum esse uolt. imprimis ei uersus, quibus Hueckstaedtius (l. c. pag. 36—39) quasi fundamento utitur, nihil efficiunt: III, 275—277 et 297. nam *hic qui*

---

[1] Saepius tamen participia cum *in* negatiuo iungere solet: *inuisus* I, 62. V, 111. *immensus* quinquies. *innumeratus* II, 17. *inquaesitus* V, 67? *inreuocatus* I, 65. *illicitus* I, 23. 204. II, 18. III, 253. V, 2. 28. *inuiolatus* IV, 4. *improuisus* II, 12. *incautus* ibid. *infractus* III, 151. *immeritus* III, 178. *intemeratus* III, 265. *insolitus* II, 156? (uersum sic lego: *paulatim insolitus sociam deperdere uitam. solitus* ed. pr.)

semper pro 'is qui' ab hoc auctore ponitur[1] neque *hîc* aliam notionem habet atque 'illic' 'ibi'. III, 297. IV, 130, IV, 116. 117. V, 110. (*hic ubi* = ibi ubi). an auctorem Golgothae natum esse putemus, qui tales fecerit uersus

Hic medium terrae est, hic est uictoria signum,
os magnum hic ueteres nostri docuere repertum,
hic hominem primum suscepimus esse sepultum,
hic patitur Christus —?

Neque episcoporum Romanorum catalogus ex Irenaeo (III cap. 3, 3.) paene ad uerbum depromptus — si genuini sunt carminis illi uersus III, 275—302 — meam sententiam infringit. notum enim est iam Tertulliani temporibus ecclesiam Africanam a 'Romanensi' pependisse: 'habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est' (Tert. de praescr. haer. 36).

[1] Confer I, 75—77. 83. 150. 184. 227 sq. 232. II, 71—72. 160—162. 204. 248—249. III, 11—12. 107—108? 199. 276! IV, 26. 32. 50. V, 33. 100—101. 105—106. 115. 158 sq. 192. 232.

De Commodiani et poetae incerti affinitate.

Cum uaria sit et multiplex necessitudo, quae inter hunc auctorem Africanum et Commodianum intercedit, deinceps uerba faciemus de utriusque religione (40—41), de textu simili bibliorum sacr. (41), de sacra scriptura in argumentatione pariter adhibita (41—42), de imitatione alterius utrius (42—45), de rarioribus apud utrumque constructionibus flexionibusque (45—46), de singularibus uocum significationibus, quae omnium est amplissima quaestio 47—50) denique de pari pronuntiandi ratione (50—51).

Iam in praefatione (pag. 12) monuimus utrumque eidem chiliasmo indulgere. huic similitudini alteram addere possumus. Commodianum episcopum patripassianismi asseclam fuisse notum est i. e. eius sectae, quae ipsum deum patrem, deum unicum, modo filium modo spiritum sanctum appellatum, in terram uenisse et pro hominibus passum esse docebat: ut autem diabolum timidum deciperet, per prophetas praedixisse non semet ipsum, sed filium suum esse uenturum: quo dolo captum diabolum, cum deum cruci affixum aggrederetur, a deo deuictum esse: hunc in modum homines a morte aeterna liberatos. nostrum poetam prouectioris 'christologiae' tempore uixisse nemo non uidet; quippe qui symboli Nicaeni notionem apertam prodat (V, 199. IV, 29). nihilo minus illius dolose a deo de diabolo relatae uictoriae uestigia relicta apparent. Commodianus cum multis locis hanc superstitionem tangit (Apol. 356. 358. 760 sq. 769) tum carminis apol. uersibus 315—320: duae sententiae his uersibus continentur, quarum prior est deum latenter et dolose egisse, altera deum eodem modo ac diabolum uicisse. eadem superstitio in incerti carmine (II, 130—134) occurrit neque intellegi uersus possunt, nisi illam Commodiani professionem comparaueris:

obiectat sese leo pelle obtectus ouili
decipiens habitu raptoris sanguine (?) *fauces.*
Adam ui (?) *captum sic quaerit Christus ubique*
ipse uiam gradiens, qua mors operata ruinam est.

sane haec superstitio in confessore symboli Nicaeni ualde mira est: sed optimam et maxime probabilem explanationem nancti erimus, si hunc auctorem atque Commodianum eiusdem ecclesiae fuisse sumemus.

Conspicuum est utriusque odium *doctorum*, quos uocant: Mosen, prophetas, euangelistas, apostolos et apostolicos doctores nominandos et sequendos esse, non sui temporis 'doctores': sese nihil 'docere', sed quae prophetae praedixerint, explicare. quo factum est, ut 'doctoris' et 'docendi' notio apud utrumque quasi conuicium nonnumquam ingeratur[1]. Commodianus Instr. II 16, 1 sq. 16, 15. 22, 15. Ap. 61. 548. hinc etiam nostri poetae uerba explicanda et emendanda sunt IV, 1 sq.:

haec populo iuueni, qui diues liber et heres
possidet aeternam spem, laudis iure dicamus[2],
non ut doctores — solus docet[3] *omnia Christus.*

IV, 11. *ipsius ex uerbis etiam monumenta salutis*
nitimur exprimere, quae gratia larga profudit.

V, 16. *hic quintus multos nexus nodosque resoluit,*
in planum mala conuoluit, quaecumque latebant,
argumenta trahens, sed non sine teste propheta[4].

itaque cum Paulum *doctorem opimum* (II, 46) appellat eumque *docuisse* dicit (II, 185. 189. 242 et saepius), eius dogmata comprobat; Marcionem uero et Marcionitas docentes (I, 149. 204 al.) deridet et *prauos magistros* appellat (I, 72).

De simili bibliorum sacrorum textu iam supra fusius disputauimus pag. 31 sq. quo lectorem relegamus.

Etiam in argumentationibus non semel ambos eodem sacrae scripturae loco pariter uti uidemus. duos solos locos affero, quibus et textum incerti auctoris deprauatum emendare et aliorum coniecturas falsas refellere possumus. iam supra (pag. 13) carminis V, 166—179 uersus ita interpretandos esse docuimus, ut ueteris testamenti dicta comprobentur factis noui test.; Commodianus in carmine apol. uu. 417 sq. contra Iudaeos pugnans — id quod noster quoque illis facit uersibus — haec dicit:

---

[1] Barnab. ep. c. I in fine et euang. Matth. 23, 10. 11.

[2] *dicatum* ed. pr., *dicamus* ego. desideramus enim I personam plur.

[3] *daret* ed. pr., *docet* ego conferens Matth. 23, 10. 11.

[4] I, 175. Marcionitas *tantum sceleris sine teste locutos* esse poeta dicit. perperam mutauit Oehler, *infeste locutos.*

suffigitur clauis quod Dauid praedixerat olim;
quem et potauerunt s e c u n d u m s c r i b t u r a s *acetum.*
et in uestimentis meis dixit sortem miserunt,
420. *quod factum et legimus*[1] *in illo omnia gesta.*
fuerunt et tenebrae factae tribus horis a sexta
festinauitque dies inducere sidera noctis.
praedictum hoc fuerat fieri per prophetam Amos[2]
424. *ut tegeret subito sese per solemnia sancta.*

his uersibus et poetae incerti consilium illustratur et haec, ni fallor, medela uersui V, 169 efficitur:

potatur — scribtum est[3] *— et fel miscetur aceto.*

Iam ad alterum uersum transimus, quem iam supra pag. 9 hunc in modum restituimus

III, 130 *psalmographus Dauid, magnus rex atque propheta,*
passurum Christus cuius se uoce canebat[4].

cf. apol. carm. praeter uu. 269 et 508 sq. imprimis 447 sq.

et [in] libro psalmorum de domini morte clamatur:
non ut illi (Iudaei) *putant Dauid de se ipso referre.*
aut si putant illud, congruunt uniuersa quae dixit?
non est flagellatus Dauid nec cruce leuatus.

Iam ut ad i m i t a t i o n e s accedamus, primo loco collocabimus numeros uersuum, qui imitationem ad uerbum factam testantur, tum de sententiis mutuatis, postremo de enuntiatis pariter conformatis agemus.

Conferantur incerti poetae u. I, 2 cum Commodiani Ap. 3; 5 (V, 11) J I 18, 8; 9 A 182; 10 A 432. 812. J I 2, 7. 34, 9; 11 J I 18, 13; 25—31 A 173—183; 26 A 174; 28 A 175; 56 J I 36, 14; 114* A 513; 114 J I 30, 8; 166 J I 11, 13; 167 A 837; 178 J II 2, 7; 197 J I 26, 38. —

[1] Praue Ludw. post *legimus* interpungit, ut alteram uersus partem cum uersu sequenti iungat.

[2] Amos VIII, 9. 10. — sequens uersus nondum emendatus est.

[3] *scriblita* ed. pr.: Commodiani codex unicus et illo uersu et alibi crebro *scribsi*, *scribtum* exhibet: uide Dombarti indicem.

[4] Sic ego hunc uersum restitui. *Christum (cuius se uoce canebat)* ed. pr., *Christum submissa uoce canebat* Pamelius et omnes posteriores. sed pronomen relatiuom hinc remouere non licet: cf. uu. 15. 29. 48. 104. 110. 126. 137. 149. 162. 173. 179. 190. 199. 202. 216. 220. ubicumque nomen nouom inducitur, adnecti solet enuntiatum relatiuom. praeterea illam si coniecturam amplecteris, uersus sequens hiscit. denique addamus Act. apost. I, 16: ἔδει πληρωθῆναι τὴν γραφὴν ταύτην ἣν προεῖπε τὸ πνεῦμα ἅγιον διὰ στόματος Δαβίδ.

II, 107 A 737; 118 J II 39, 6; 125* J I 24, 15; 192* II 33, 3. — III, 24 J I 36, 3; 49 A 177 (934. J I 1, 4); 56 A 862; 84 J II 22, 4; 85* A 836. — IV, 16 A 276; 24 (II, 59) J I 26, 28. 27, 3. II 30, 6. A 354; 20 A 120; 32 J I 28, 10; 56* I 16, 4; 93 J II 11, 7; 127 (V, 35) J I 2, 5. — V, 90 A 181; 150 J I 30, 15.

Grauissima similium sententiarum exempla haec sunt:

I) Apolog. 140 *dat nobis exemplum post funera surgere posse.*
carm. III, 239 *ipse resurrexit primus, spes una salutis,*
discipulisque suis formam dedit.

II) Instr. II 36, 9 *uos flores in plebe, uos estis Christi lucernae.*
carm. III, 227 *flos hominum, mundo lucentes lumine Christi.*

III) Vterque sermone forensi usus de Iudaeis a deo reiectis haec uerba facit.

Apol. 261 *gens ceruicosa nimis semperque rebellans*
dum sibi primatum uindicaret, causa resecta est[1].
in quorum stadia gentiles esse praefecit,
dixerat hoc ante: gentes sperabunt in ipsum. (Es. 11, 10.)
carm. IV, 212 *ante tribunale, ante pauimentumque parauit,*
ut fora iudiciumque sibi anticipare uolentes
ecfugerent[2], *esset speranti*[3] *copia lata.*

IV) De homine post mortem reuiuiscente.

Apol. 793 *tunc homo resurget solis in agone reductus*
et gaudet in deo reminiscens quid fuit ante.
carm. I, 222 *cernere quid fuerit conuersa in puluere quondam.*
post meritos renouata ferat deo laudis honores.

V) Restat imitationis luculentissimum exemplum: Apol. 172—184

172. *Nemo deum sciebat, disputabat nemo de uita.*
inrepserat quoniam rudibus temerarius ille
per latices animae, deprauauit mentes acerbas.
175. *persuasitque dolo citius infandos amare,*
uiuere rapinis in gaudio sanguine fuso.
hanc gloriam stulti prosequuntur tempore paruo;
quo nulla uenia liberat se dicendo seductos.
si suadet adulter, culpa est tua prosequi talem;

---

[1] Dombartius in indice suo: 'causa resecta est = lis perdita est?'

[2] *et fugerent* edd., correxi.

[3] *speranti* ego, *properanti* edd. — *populi sperantes* memorantur I, 103. II, 213. V, 108 et 109.

180. *non ille te damnat, sed tu tua sponte te damnas.*
errabant indocti ueteris fallacia hostis,
obliti dominum, opera maligna sequentes.
quod diu ne fieret grassatio tanta latronis,
184. *tempore partito miseratus est tandem ablato.*

his uersibus compara eos, quibus initio carminis adu. Marc. de eadem diaboli seductione agitur:

5. *tanti sceleris temerarius auctor . . . . .*
9. *oblitos dominum docuit spem linquere certam,*
idola uana[1] *sequi turbam sibi fingere diuom,*
sortes auguria stellarum numina falsa[2]
nascentum geneses constringere[3] . . . .
17. *sanguine gaudentes homicidia saeua minari*
corpore in alterius tunc carnis uulnus amare.
25. *talia praeterito grassatus tempore gessit*
per latebras animae serpens[4] *manante ueneno.*
non quia culpa carent[5] *homines: nam sponte secuti.*
ille dolo suasit, homo libertate peregit.
haec dum continuo per saecula perfidus halat
30. *consiliumque suum seductis cordibus infert . . . .*

haec similitudo continuarum sententiarum uerborumque non indiget commentario. tamen breuiter disserere nobis liceat quae ex hoc consensu ad textum utriusque poetae emendandum lucremur. medelam quam huius carminis uersui I, 27 pridem adhibueram, Commodiani uersibus 179 et 180 commendari non sine aliquo gaudio intellexi. deinde in Commodiani uersu 174 pro unici codicis lectione *per latices animae* legendum puto, quod exhibet auctor incertus *per latebras animae*[6]. denique deprauatum Commodiani uersum 175 iam Dombartius secundum incerti poetae u. 24 hunc in modum emendauit: *persuasitque dolo coitus infandos amare.*

---

[1] *idola uana* dicit Commodianus Instr. I 2, 7. 13. Ap. 432. 812. Instr. I 34, 9.

[2] *nomina falsa* ed. pr., correxi. uide Commod. I 18, 13.

[3] Eandem superstitionem Commodianus impugnat I 7, 9 *o nimium stulti, qui putatis moechos ab astris nascentes regere.* I 16, 2 *dicitis fata genesis adscribere uobis.* ibid. u. 5: *si tribuunt fata genesis*

[4] *sepis* ed. pr., correxit Buechelerus.

[5] *culparent* ed. pr., correxi.

[6] Dombartius dubitanter in indice: 'latices animae = occulti cuniculi. cf. Blätter für d. bayer. Gymn. XVII, p. 453.' — etiam Georges in lexico suo huic Commodiani loco hanc unicam significationem (Schlupfwinkel) uindicare uolt.

Tam arte hic poeta ad Commodianum in refellendis aduersariis se adplicuit, ut uel enuntiata similem in modum conformaret: compara Comm. I 18, 13 et carm. I, 145; Commod. I 4, 2. 16, 5 et carm. IV, 113 sq. V, 34. 37—41.

Iam inspiciamus certissima eiusdem dialecti indicia: propriam uerborum constructionem, uocum collocationem, flexionem; propriam significationem; propriam pronuntiationem.

Vterque non *bello uincere*, sed *bellum uincere* dicit: Commod. II 22, 4[1]. carm. adu. Marc. III, 84 et 100.

Iam supra (pag. 22) huius carminis proprium esse demonstrauimus, quod ab *in* praepositione quintus pendeat casus, ubi urbanitas postulat quartum. idem uitium in eisdem uerbis Commodianus saepissime committit:

Apol. 844 *flumina quoque iratus in sanguine uertit.*

carm. I, 167 *offerri calicem precibusque in sanguine uerti.*

ibid. I, 100 *sancto in corpore uersus*[2].

si quis plura desiderat exempla, euoluat Commodiani indicem diligentissime a Dombartio confectum, ad quem iterum iterumque relegabo; poetae incerti haec sunt[5]:

I, 222 *cernere quid fuerit conuersa in puluere quondam.*

V, 116 *ipsa cur in gente uenit terraque dicata?*

V, 173 *in tenebris tremefacta dies cum sole refugit.*

III, 232 *hinc Paulus praelectus apostolus in uice*[3] *missus.*

I, 105 *et nunc errantes*[4] *manifesto in limine mortis.*

III, 102 *florentesque fide gentes in laude receptae.*

I, 115 *qui caeco duce praecipites in fossa ruistis.*

Verbi *ruendi* structuram recte Dombartius in Commodiani II 29, 8 restituit: *uos quia nescistis, laqueo in isto ruistis,* sed falso comparat I Tim. 3, 7 et 6, 9: comparandus erat Ps. 34, 8 (Volgata): 'ueniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit apprehendat eum, in laqueum cadat in ipsum'.

---

[1] Non recte interpretatus est Dombartius (ind. p. 200): 'bellum = hostis.'

[2] *uersis* ed. pr., emendaui.

[3] *uicis* = officium, munus. Paulinus Pell. euch. u. 26 et Paul. Petric. uit. Mart. V, 798. III, 337.

[4] *errantem* ed. pr., *errantes* Hueckst.

[5] Etiam *fundere* cum *in* et abl. struitur I, 122. 215. II, 45 et III, 174, ubi *dei in orbe* lege pro uitioso *dei ore*. in uersibus supra allatis metrum mutationem non admisit: sed in fine uersuum II, 55. III, 61. 150 V, 54. 253 ed. pr. *in orbem* praebet, cum poetae consuetudo *in orbe* postulet, et I, 49 *in uino uertuntur* restituere debemus secundum uersus 100 et 167.

Vterque ablatiuo pro accusatiuo temporis utitur: Commod. III, 40. V, 102. hic Commod. II, 39, 15. Apol. 421. 1008. 1024.

Ambo *ut* coniunctionem admittunt, ubi urbanitas accusatiuom c. inf. postulat: exempla incerti auctoris supra posui pag. 22; Domb. ind. 'coniunctiuus', 'ut'

Neuter collocationi nimis liberae et insolitae pepercit: particulae 'que' 'et', ut alias missas faciamus, et pronomen relatiuom saepissime uel altero enuntiati loco ponuntur uel longius ab initio remouentur. incertus auctor *que* uel quinto enuntiati uocabulo adnectit I, 64: *a domino sibi perpetuas tenebrasque paratas* et IV, 87: *castrorum extra fores corpus iussuque cremauit* et V, 217: *a deo mandatum legis Mosique locutus*. pronominis relatiui collocationem singularem reperis in his uersibus: III, 25. 114. 283. IV, 108. V, 114. 193. — denique substantiua, quae ad enuntiatum relatiuom pertinent, anticipare solent. Commod. Apol. 99 *hunc ergo nec ipsi nunti dinoscere possunt, qualis sit.* plura Dombartius. Carm. adu. Marc. IV, 184 sq.

Iam accedamus ad flexionis exempla communis. In syllabis finalibus tertiae declinationis apud utrumque uocales 'i' et 'e' fluctuant: Commodiani codices exhibent *famis luis prolis subolis*, incerti auctoris editio *diuis famis*[1] *nubis* (V, 6. III, 185. V, 211); ille ablatiuis utitur *mare bipenne anastase*, hic *parĕ* V, 173; ille *calci diuiti breuiori*, hic *menti* III, 83, *minori* II, 26, *maiori* I, 54, *multiplici* I, 155, *ancipiti* V, 30, *ingenti* III, 21. 142. IV, 5, *memori* III, 218, *ueteri* II, 31. 51. 252, *celeri* II, 86, *fallaci* II, 4. ille accusatiuos habet *artis gratis sortis*, ut alia exempla omittam, hic *mentis* V, 161. quartae declinationis datiuom singularem ambo in 'u' formant: ille usurpat *exercitu luxu*, hic *spiritu* IV, 161. V, 251. ille genetiuom plur. habet *tribum*, hic *fructum* IV, 105. optime Dombartius[2] animaduertit apud Commodianum ablatiuom pl. generis neutr. in 'a' desinere i. e. secundum primam declinationem: idem accidit in incerti auctoris carmine II, 149. 251 (*debita* = debitis).

Vterque adhibuit perfectum *relinqui*[3] Commod. Ap. 278, carminis auctor II, 144. 165. idem *furiebat* (uide pag. 35) quartae coniugationi tribuisse uidetur: simile est uitium Commodiani: *fugīte refugīte fugīre cupire sapīre*[4]? ambo 'i' uocalem in quibusdam futuri temporis formis producere solent: Commodianus *erīmus erītis fecerītis*, incertus auctor *poterīmus poterītis* II, 69. III, 220. denique *obiuit* C. 323 et carm. III, 224.

[1] *famēs* ed. pr., *famis* restitui.

[2] Vide indicem sub uocibus *praepositiones ablatiuum regentes*.

[3] Roensch I. u. V.

[4] Neue, lat. Formenl. II, 415. Winnefeld, sortes Sangall. p. 51.

Permagnus est consensus utriusque poetae in rarioribus uocum significationibus, quarum infra nonnullas afferemus[1]. hoc autem fere grauissimum eiusdem patriae indicium est.

adesse = esse. P V, 68.

adgredi = moliri, incipere. C 11. 89. 165. P I, 7.

adhuc = ἔτι. P IV, 48.

aduerbia pronominalia *inde unde hinc* saepe idem ualent atque ipsum pronomen cum praepositione 'a' uel 'per' uel 'ex' iunctum. C I 24, 14. 7. 29, 15. II 30, 4. 35, 10. Ap. 817. 596. 684. I 22, 13. 26, 4. 37, 7. II 17, 10. 22, 14. 39, 6. P III, 44. (*unde* = a Iuda). V, 179. 184 (*inde* = ex corpore) V, 205 sq. (*hinc* = a patre). — *inde* = deinde. C II 2, 18. P V, 5. 109 (oppon. *principio*[2]). — *ille* = inde? C I 7, 3. P V, 247.

agere = uiuere. C II 1, 3. 9, 13. 23, 16. 29, 11. Apol. 213. P III, 128. — *actus* = uita. III, 141. IV, 105. III, 148, quem uersum sic legendum puto: *insignis fidei in laudem, memorabilis actus.*

alter = alius. P I, 18. V, 117.

bonus = benignus. P I, 83.

canere = uaticinari. C octies. P III, 131. 199. 267. IV, 215 (III, 36 praecano). — *tuba canere* C 227. P V, 218.

capit c. inf. = ἐνδέχεται. C I 6, 4. P V, 183. 203.

aequare = 'satis instruere'. I 27, 18. P I, 202.

circumdare = uestire. C II 18, 2. P II, 261.

clamare = uaticinari, canere. P II, 167. III, 6. 10. IV, 141. V, 136.

cogere = 'contundere, subigere'. C II 13, 8 *quos nulla poena coegit.* P II, 145 *hos mors atra coegit.*

concedere = condonare. C II 11, 7 *omnia concedet, cuius sunt et omnia nostra* = P IV, 93 *omnia concedens quasi diues corporis auctor.*

cor = mens. P II, 242.

creatura = corpus, caro. C II 39, 11. (quo in uersu haec significatio dubia esse non potest, si tenes usum Commodiani et uersus 7 et 20.) P V, 194. 246[3] (quocum V, 197 conferendus est).

culpare. P I, 121. 138. 204. II, 16.

cura = curatio. C 230. P II, 217. V, 98.

deferre = referre, nuntiare. C I 37, 15. P II, 151.

deficere = perire, infirmari. C I 6, 12. 16. 18, 7. 14, 5. Ap. 881. P V, 104. II, 234[1].

externus, exterus alicui rei = hostilis. C II 17, 6. P IV, 225 (III. 72).

ferre = auferre. C 2. 596. P II, 105.

se fingere = 'se simulare'. P II, 216.

florent gentes. huic notioni macula quaedam inhaeret. C 199. 200. P I, 136. 137. III, 102.

fouere, refouere = θεραπεύειν. C II 30, 5. P II, 91. V, 128. (u. indicem Cypriani ab Hartelio collectum).

genesis = partus. C I 16, 2. 5. Ap. 947. P I, 12.

gemitus = labor. C II 3, 5. 17, 1. P III, 21. 39 (I, 214. V, 95. 101).

gerere uestem. C I 3, 10. P V, 182.

grassari, grassatio (diaboli). C I 28, 11. II 13, 7. Ap. 183. P I, 25.

humanus = homo. C 372. P II, 253.

hebes = occaecatus. C 33 (I 22 inscr. et I 22, 1.) P II, 37. (falso Dombartius sumit '*hebes* = stultus').

honorem dare deo. C I 12, 17. 27, 20. II 31, 7. P I, 113. 223.

ignarus = 'uerae religionis expers'. P I, 138[2]. IV, 54.

inscius = *ignarus.* I 1, 3. 5. 8. P IV, 14.

inanis = uanus, falsus (deus, uates). C I 2, 2. I 17, 1. P I, 2. 109. 117. II, 242 (*inania corda* = Marcionitae).

iners = debilis, inualidus (nusquam alia notio huic adiectiuo inest). C II 10, quod Dombartius perperam 'νήπιος' interpretatur. P III, 136. IV, 81. II, 157. 121.

inquit = 'legitur in scriptura sacra'. C II 24, 4. P II, 262.

inspicere = haruspicis munere fungi. C I 22, 2. *inspicium,* ἅπ. εἰρ. = haruspicium. P I, 13.

---

[1] Vbi Commodiani locos non notaui, uideas quaeso indicem Dombarti. C = Commodianus, P = incertus carminis auctor.

[2] Lege: *principio genti, sic linguis omnibus inde.* — *gentis, in* ed. pr.

[3] Commodianus etiam 'natura' eadem significatione usurpat; Apol. 753. 783.

[1] *deijciunt* ed. pr. — *deficiunt* Pamelius.

[2] Hunc uersum sic lege: *factorem tamen ignari.* — ed. pr. *factoremque tamen gnari,* ubi et *que* superfluum est et *gnari* sensu omni caret.

inuisus = ἀόρατος. C 831. P I, 62. V, 111[1].

luere poenas (in gehenna). C I 29, 17 *ac luitur ibi poena spiritalis aeterna*, cui uersui persimilis est P IV, 53 *poenas innoxius infans perpetuas luit.*

mente ablatiuos cum adiectiuo iunctus paene idem ualet atque merum aduerbium ('rarement'); uerbi causa haec adpono: *fera mente, tota mente, celeri mente.* C I 17, 11. 18, 11. 21, 2. 26, 24. 28, 4. II 33, 7. Apol. 238. 907. P II, 86. 183. III, 83. 74. 116. V, 89.

modicus = 'paruus'. C II 34, 5. P II, 54

nimis, nimium = ualde. C I 7, 9. — 336. 613. P.I, 122. 147. II, 87.

numerale distributiuom singulari numero positum. C 946 *ex duodena tribu* = ex duodecim tribubus. iam Dombartius contulit P III, 92 *tercenteno equite* — trecentis equitibus.

merere c. inf. C I 6, 22. P I, 208.

numero abundat. C 673. P II, 45.

paeniteo uerbum personale (Neue, l. F. 624). C II 8 acrost. et uers. 1. P V, 150.

palma uictoriae. C II 17, 18. P I, 193. III, 87. (105).

pareo = appareo. C II 3, 15. 17, 11. 25, 8. I 41, 5. Apol. 279. 298. 474. P I, 57 (uide II, 2). V, 11. 14. 97. 207.

pariter = una. P V, 146. 163.

de particularum ui immutata uide quae supra ex incerto auctore attuli exempla (pag. 22); *nec non et* = et. C II 18, 6. 19, 13. 24, 14. P II, 109 (*nec non* II, 30. III, 119. V, 238).

partitus passiue. (Neue, lat. Form.) C 184. 827. P IV, 52.

paruolus = infans. C I 26. 20. II 10, 2. P II, 154.

pax, oppon. *fraudi* et *dolo*. C I 28, 1 sq. II 21, 16. I 30, 19 *tollite corda fraudis, diuites, et sumite pacis.* P II, 177 *nuntius ille doli, sed pacis nuntius iste.* idem II, 157.

pendere = cruci figi. iam Dombartius attulit P II, 191.

perpetuus = aeternus. C 805. II 39, 24. P IV, 54 (quocum conferatur Comm. I 29, 17.)

pestis = pernicies. C I 34, 16, Apol. 1005. P I, 155. II, 2[2] III, 297 = V, 64 (*noua pestis* = Marcion).

[1] *inciso* ed. pr., *inuiso* ego.

[2] *pectis* ed. pr., *pestis* Pamel.

pinguis translaticie dicitur. C 23 *pinguis opibus.* P I, 129 *pingues odores.*

portare = ferre. C I 21, 8 *auxilium portat.* P II 57 *bona nuntia portans.* I, 195 *uincula p.* III, 50 *labores p.* (= perferre).

potare = ποτίζειν. C 414. P V, 169 (= Ps. LXIX, 22). P III, 5 (= Gen. XXI, 19).

praeponere = proponere. C 699 *sunt tibi praepositae duae uiae* (nempe 'uitae' et 'mortis'), cui sententiae simillima est quae legitur P II, 225 *infirmas ausi causas praeponere mortis.*

praepositionum usus. u. p. 45. — substantiui uel adiectiui casum quartum a praepositione *in* pendentem pro aduerbio ponunt: *in faciem* = palam? C I 23, 23. II 28, 7 et P IV, 122. V, 83; *in totum* C I 37, 22. II 16 inscr. 38, 6. Apol. 398. 485; *in tantum* P II, 13; alia P II, 17. III, 256[1]. I, 16. I, 44. III, 77. V, 52. 93 (lege *in unum*). I, 242. V, 106. — *ex eo, ex ipso* = deinde, post id tempus. C I 41, 19. II 1, 43. Ap. 242. 836. P II, 30. — *per* praepositionis usus latius patet: C II, 5, 3 *per errorem si qua gerebas* (= si peccasti) et P I, 179: *facta per errorem* (= peccata); C II 27, 4 *per omnia*, P I, 173. II, 29 *per pauca, per multa* = paucis, multis. — *super* nisi in Hebraismo quodam fere non inuenitur. ut in lingua hebraica praepositio מִן pro comparatiuo et superlatiuo adhibetur, sic ab his poetis *super* plerumque cum *omnis* adiectiuo iungitur ad gradum superlatiuom formandum: C II 23, 16. Ap. 107. P III, 119. 213. 219. 103[2]. ille praeterea semel, ut uidetur, proprium sensum seruauit I 30, 5 *super diuitias nimium te extollis*, hic bis exhibet *super aras* III, 145 et 156.

promereri, promerere = merere. C II 18, 20. 10, 5. (14, 13). P III, 27.

proprie = accurate. C Apol. 1. P II, 241.

puteus = gehenna, infernus. C 440. 443. 477. P II, 142. 205.

proferre = creare (de 'deo' mundi creatore). C I 29, 4 sq. P IV, 19. 22.

pronomina. *ipse* saepissime ab utroque auctore pro 'is' uel 'ille' adhi-

[1] Etiam Iuuencus *in solidum* pro aduerbio habet III, 363.

[2] Quo in uersu poeta uolgaris simul hebraice et latine superlatiuom expressit: *super omnem maxima famam.*

betur. mirus est usus huius pronominis cum 'et' uel 'nec' iuncti: nam *et ipse* uel *nec ipse* in fine uersuum crebro leguntur omni fere sensu et significatione carentia. — *suus* = eius u. pag. 23. — *hic qui* = is qui pag. 39.

quaerere deos = colere? C I 1, 7. P I, 106. IV, 223.

recedere = obire, perire. P III, 124.

regio = spatium. C 120 et P IV, 20 iam Dombartius contulit.

remanere. C I 11, 16. P III, 86.

reperiri = ἐλέγχεσθαι. C I 36, 6 *Cain nequam repertus.* P III, 23 *Noe sine culpa repertus* id. III, 177 *Esaias sine labe repertus.* (I, 71 *inuenti sine mente uiri* = Marcionitae). V, 122 *sorde reperti*[1] = in sorde reperti?

recludere = includere. C 512. P III, 298. IV, 148.

reducere = deducere. C I 37. 4 *caecus caecum in fossa reducit.* P III, 56 *populumque reducit* (scil. Moses ex Aegypto). V, 247 *captiuas ille reducens primitias* (i. e. animas ex gehenna deducens).

replere = consummare. P III, 270.

reprobare = repudiare. P I, 124. II, 28.

reuoluere = demonstrare. C 406. P III, 181.

secedere. C II 11, 2. P III, 31.

sic = tum, deinde. P I, 6. V, 109[2].

rudis = uerae religionis expers. C apol. 58. 70. 173. 580. P IV, 14.

signare = baptizare. C 840. P I, 61.

suadere, uerbum transit. C II 1, 45. P V, 77. *suadeor.* C 297. 758. P II, 9. 49. III, 31.

sententia = poena, uindicta[3]. C I 3, 7. II 2, 11. 17, 3. P I, 31. IV, 37.

sumere, resumere = ĕdere[4]. C I, 4, 4. 35, 13. II, 20, 15. 34, 2. 5. Apol. 321 sq. 325—327. P V, 99. uerbum 'manducandi' neuter adhibet.

tenere = continere, constringere. C I, 26, 13. II, 7, 4. Ap. 485. — P III, 154 (ib. 168).

testificare. C I 1, 7 *testifico* (sic optimus codex Cheltenhamensis, *testificor* deteriores). — *testificans* P III, 24. IV, 194. idem II, 58 *testificata* passiue usurpauit.

tanti = tot. C 999. P I, 163. II, 238.

transferre = conuertere, mutare. C H 7, 12. P III, 167.

uocitare = nominare. C 666. P V, 119.

uolnus = I peccatum. C II 8, 6. P I, 90, 155. II, 91. 214. III, 287. — = II) incommodum. C II 24, 1. P III, 110. I, 190.

uehere = ferre. C II 25, 1. P I, 146.

zelare fauore uel *amore.* C II 19, 23 *zelantes fauore Christo offerte odores.* P IV, 36 *qui zelat populum summo pietatis amore.* Comm. Apol. 238: *zelus liuoris.*

In fine huius indicis communis uocabula ponemus, quae fidem Christianam spectant:

prophetarum chorus. C II 1, 11. P III, 199.

dicta prophetarum. C 239. 548. 552. P I, 46. IV, 217.

transcendere, transgredi legem dei. C II 17, 12. P I, 20. II, 83. IV, 58. V, 122.

Christi trophaeum. C 767. P III, 168.

uita = aeterna felicitas. C 86. 172. 322 et al. P I, 1. 84. 219. 226.

altus = deus. C 208. 309. 962 et al. P IV, 70. V, 33.

uagus adiectiuom daemonibus et paganis additur. C I 3, 14. II 13, 6. 1 22, 10 (26. 2. 29, 14. 33, 1). P V, 12.

praeconium = uetus et nou. testam. C 53. II 15, 1. 20, 13 (*praeco* = propheta II 19, 8. 35, 5. Ap. 275). P III, 97. IV, 193.

leuare = ab inferis suscitare. C I 41, 7. II 18, 19 sq. 454. 457. 672. 799. P I, 60. 189[1]. II, 203. 222.

refuga = apostata. C II 13 acrost. Ap. 1030. P I, 14. 142. II, 1. 168. III, 18. 109. V, 2.

diabolum eisdem nominibus appellant: *temerarius* C 173 et P I, 5 iam Dombartius comparauit. — *latro* C 183. 317. 692. P I, 177 (IV, 13 *praedo*). — *hostis* C 181. P I, 38. 56. II, 267. I, 7. — *iniquus* C II 21, 10. Ap. 923. P I, 88 (lege *iniquus* pro *inique*). II, 8. 142 (quibus in uersibus *iniqui* legendum est pro *iniqua* uel *iniquo*). — *inuidus.* C 357. 768. II 22, 14. P I, 1. 219. — *malus* C II 1, 45. 3, 19. 16, 4. P I, 1. 234. — *sedu-*

[1] *referti* Hueckst.

[2] Vide supra pag. 47 adn. 2.

[3] Eadem significatione utitur Mar. Claud. Victor in Aleth. (CSEL XV, I). I, 474. II, 76. 275. 357. 508? III, 43. III, 709.

[4] Conf. Iuuenc. III, 492: *sumunt alimenta ciborum* et Mar. Claud. Vict. in Aleth. II, 373: *sumpsisse cibos.*

[1] *lauatur*, ed. pr., correxi.

cere de diabolo proprie dicitur: Commodianus crebro (*seductor* II 29, 7. Ap. 207 = diabolus). P I, 2. 30. 144. 154. II, 143 (ubi ed. pr. perperam exhibet *subducta* pro *seducta*). Commodianus diabolum *ueterem hostem* (Ap. 181), *seductorem antiquum* (207), *ueterem latronem* uocat, a qua locutione incertus auctor abstinuit nimirum usu Marcionitarum permotus, qui 'exteriorem hominem' i. e. carnem hominis sic appellauerunt: P V, 90 *interior simul et ueterem quem dicitis hostem.*

scriptura = biblia sacra. C II 17, 7. apol. 434. 577. P V, 144?

Sermonis comparatione ad finem perducta restat, ut nonnullas pronuntiationis similitudines quae inter utrumque poetam intercedunt proponamus. pronuntiatione uocalium consonantiumque facile discerni potest, quoias quis sit. nonne apud nos ipsa locutione Berolinensis Saxo Bauarus se prodit? notum est in Commodiani carminibus non pauca uetustae illius synizeseos, quae Plauti Terentique propria est, uestigia inueniri. *za* et *dia* eodem sono locutus est: I 37 acrost. I 35, 23. II 16, 7. 18, 4. 19, 16. 32, 12. II 27, 1. Ap. 152. 775. praeterea si rei metricae rationem satis eam quidem lubricam sequimur, similiter has uoces elocutus est: *diebus* (II 20, 16). *die* (II 34, 1). *diutius* (786). *deos* (I 1, 8). *deus* (I 4, 1. 5, 8. 6, 11). *bifarius* (I 24, 11). his exemplis respondent incerti auctoris *dei deo dies duos unius*, quae iam supra pag. 18 attulimus. illi poetae sollemne est *fuistis* (I 6, 3) *puerilis* (I 6, 5) *suam* (II 4, 39) *suis* (A. 619), huic *defuerunt* (an *defŭĕrunt*?) *suo suae pio.* uterque *Ioannes* pronuntiasse uidetur: hic II, 108. IV, 139, ille Ap. 222: *Ioannem decollant, iugulant Zachariam ad aras.* — compara hos Commodiani uersus:

Ap. 651 *cuius uestimento tacto profluŭio sanata est.*

II 29, 15 *de breŭiori titulo † nam in uobis inararem*[1].

et quod habet incertus poeta: *noŭo noŭa* IV, 219. II, 50.

De *i* uocalis post *t* et *c* consonantes immutata ui ac natura iam supra pag. 18 rettuli. neque hic usus ab Commodiano alienus est: II 23 in acrosticho *concupiscencia* et II 14, 12 *gazophylacio.* quibus addi possunt exempla satis certa *indignatio* I 2, 4 *persecutio* 812 999 et quae incertus quoque auctor (I, 108. III, 156) exhibet, *resurrectio* I 2, 11 atque *hostias* I 15, 5.

ae diphthongum ab auctore incerto per simplicem *e* reddi pag. 17 contendimus. idem uerbum etiam Commodiano, ni ualde fallor, similiter sonuit II 25, 5: *conspicitis stipulam cŏhĕrĕntem in oculis nostris*, quo in uersu omnes tres codices non *ae*, sed *e* exhibent. notissima est illa Commodiani scriptio II 9, 19 *eramen* = aeramen teste parastichide.

[1] Similem pronuntiationem postulat titulus Africanus sat iustis uersibus perscriptus (CIL VIII, 434, 8): *nec poterit facili labium obliŭione perire.*

denique saepissime in Commodiani codicibus *ae* per *e* redditur (*celum*, *cecus*), *u* et *o* inter se mutantur (saepissime *nomen* pro *numen* legitur ut apud inc. auctorem), item *i* et *e* (*dimittere* = demittere C. 477 et P V, 215), *b* et *u* (uide supra pag. 19), quae scribendi proprietates nescio an potius auctori quam scribae alicui tribuendae sint.

INDEX VERSVVM EMENDATORVM.

VITA.

Natus sum Augustus Oxé Crucenaci anno MDCCCLXIII a. d. X Kal. Sext. patre Ludouico professore gymnasii regii, matre Charlotta e gente Weimer, quam mihi admodum puero a fatis ereptam esse doleo. addictus sum fidei euangelicae.

Litterarum elementis imbutus in ludo populari puer IX annorum gymnasium patriae frequentare coepi, quod tunc sub auspiciis G. Wulferti directoris humanissimi florebat. uere anni LXXXIII maturitatis testimonio instructus Tubingam me contuli et scholas philologas auditurus et stipendia annua facturus in legione Wuerttembergensi n. CXXV. ueste militari posita redii in patriam prouinciam ad hanc Musarum sedem Rhenanam, ubi per octies senos menses studiis philologis operam impertiui: quae bis intercepta sunt octonarum hebdomadum excercitationibus militaribus, quas Augustae Treuerorum praestiti subcenturio leg. Borussicae n. XXIX. docuerunt me uiri clarissimi Rohde de Gutschmid Kugler de Sigwart professores Tubingenses, Buecheler Birlinger Doue Kekulé Klein Luebbert Neuhaeuser Nissen Ritter Schaarschmidt Vsener Wilmanns Witte Bonnenses. eximia beneuolentia Buecheleri Luebberti Vseneri factum est, ut in seminarium philologum regium reciperer, cui per ter senos menses sodalis ordinarius interfui: Buecheler exercitationum philologarum et epigraphicarum, Nissen seminarii historici ut particeps essem, benigne concessere. his praeceptoribus omnibus, imprimis uero Buechelero Luebberto Vsenero gratiam habeo quam maximam semperque habebo.

Denique gratissimo animo memoranda mihi est Schaarschmidti summa erga me liberalitas, quo regiae bibliothecae uniuersitatis antistite cum per tres fere annos amanuensis munere fungerer, liberrime non solum librorum copiis sed etiam consilio auxilioque uirorum cl. Rau Gerhard Becker Muenzel adiutus sum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Philipp. Opunt. epin. c. III (977 A) lego: ὃν καὶ δικαιότατον, ὡς ξύμπαντες ἄλλοι δαίμονες ἅμα καὶ θεοὶ τιμῶνται, τιμᾶν τε καὶ εὔχεσθαι αὐτῷ. — cod. omis. τιμῶνται.

II.

id. (978 B): πάντα τὰ τοιαῦτα οὐδείς ποτε μὴ γιγνώσκων ἀληθῶς, δόξης ἐπιλαβόμενος κτλ. — cod. ἀληθοῦς δόξης.

III.

Quae de die a. d. X. Kal. Apr. tradiderunt Ouidius in Fast. libr. III, 850 (*fortis dea* = Nerio) et Ioannes Lydus in libro d. mens. IV, 42 (Νερίνη = ἀνδρεία), ex Varrone sumpta mihi uidentur.

IIII.

Scriptorum hist. Aug. illa iudicia quae uolgaritatem uersuum quorundam spectant, fluxerunt ex Mario Maximo: Spart. Hadr. c. 25, Cap. Opil. Macr. c. 11 et 14, Lampr. Anton. Diad. c. 7.

V.

CIL VIII, 7999. fugerunt editorem uersus qualescumque:

Pax sibi uiuos homo posuit Antonius aram
uerna loci huius, qui negotiator habet
coniugem et natos . . . .

VI.

Tertull. de praescr. haer. XIII: *creditur unum omnipotentem deum esse.* — cod. *omnino.*

VII.

Ier. proph. XIII, 9 in frg. Wirceb. (ed. ab E. Rankio Vindob. 1871) lege: *disperdam contumeliam.* — cod. *dispergam*

VIII.

Pseudoiuuenc. sel. frg. u. 913 (Spicil. Solesm. I p. 249) = carm. in Num. u. 818 sic lege:

tellus nam gramine multo
herbida Iordani fluuio coniuncta uirebat. —

cuncta cod., *laeta* ed.; uide Num. XXXIV, 15.

VIIII.

ibid. u. 933 = carm. in Deuter. u. 16:

Sustulit et uinclis et carcere soluit Egypti. –

solus Aegypto cod. et ed.

X.

PLM V, pag. 128: Dracont. praef. u. 6:

tunc feras reliquit ira, tunc pauore territa
lenta tigris. —

pauor in mei territa cod.; Baehrentis coniectura uiolat metri rationem, quae in fine uersuum ut accentus uerborum et pedum congruat, postulat.

XI.

Eadem lex metrica ualet in Orientii (?) Orationibus: CSEL XVI, tom 1. pag. 232.

XII.

1) Orient. Orat. XXIIII, 2 sic emendandus est:

Id facio quartum post uiginti carmina. —

cod. et ed.: *quantum per.*

2) ibid. 'de epith. saluatoris' u. 6 sic legendus:

flos lapis anglaris dextra columba puer. —

columna cod. — conf. 'Expl. nom.' u. 132 (uel 37).

Bonnae typis Caroli Georgi typogr. acad.